




# Richardi Stanihursti Dubliniensis De rebus in Hibernia gestis, libri quattuor,

<https://hdl.handle.net/1874/427950>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Flammeest.  
De zebrae in de  
terre geset.


H. Falcond.  
De zebrae in de  
lize geset.


S. qu.

















f. 269.

RICHARDI  
Stanihursti Dubliniensis  
DE REBUS  
**IN HIBERNIA**  
GESTIS, LIBRI  
QUATTUOR,

Ad carissimum suum fratrem, clarissimumque virum,  
P. PLVNKETVM, Dominum Baronem Dunsanix.

*Accessit his libris Hiberniarum rerum Appendix, ex  
SILVESTRO GIRALDO CAMBRENSI  
peruetusto scriptore collecta;*

Cum eiusdem STANIHVRSTI adnotationibus.


*Omnia nunc primùm in lucem edita.*



*Ex domo Buczelii*

ANTVERPIÆ,  
Apud Christophorum Plantinum.

M. D. LXXXIII.



Родимой  
Англии Стране  
Града га  
АИИЯЕВНИ  
гялъ, атъзъ  
документъ

житъ създателъ, иже ѿ земи и земли  
създадъ земли и земли

и земли, земли и земли, земли и земли  
и земли и земли и земли и земли

и земли и земли и земли и земли  
и земли и земли и земли и земли

и земли и земли и земли и земли  
и земли и земли и земли и земли

и земли и земли и земли и земли  
и земли и земли и земли и земли

и земли и земли и земли и земли  
и земли и земли и земли и земли

и земли и земли и земли и земли  
и земли и земли и земли и земли

и земли и земли и земли и земли  
и земли и земли и земли и земли

и земли и земли и земли и земли  
и земли и земли и земли и земли

f. 269.

RICHARDI  
Stanihursti Dubliniensis  
DE REBUS  
**I N H I B E R N I A**  
GESTIS, LIBRI  
QVATTVOR,

Ad carissimum suum fratrem, clarissimumque virum,  
P. PLVNKEVVM, Dominum Baronem Dunsanæ.

*Accessit his libris Hibernicarum rerum Appendix, ex  
SILVESTRO GIRALDO CAMBRENSI  
peruetus scriptore collecta;*

Cum eiusdem STANIHVRSTI adnotationibus.

*Omnia nunc primùm in lucem edita.*



*Ex domo Buczelii.*

ANTVERPIÆ,  
Apud Christophorum Plantinum.

M. D. LXXXIIII.



卷之三

三才圖會

卷之三

三才圖會

卷之三

三才圖會

卷之三

三才圖會

卷之三

三才圖會

3

RICHARDI STANIHVRSTI  
DVBLINIENSIS, DE REBV S IN HI-  
BERNIA GESTIS LIBRI QVATTVOR,  
ad carissimum suum fratrem, clarissimum-  
que virum P. PLVNKE T V M, Domi-  
num Baronem Dunsaniæ.

LIBER PRIMVS.

 *ÆPE & multùm, Plunke-  
te frater, præcipuo dolore an-  
gi soleo, quòd, cùm extimi  
orbis terrarum recessus ad  
hominum scientiam magis  
ac magis cottidiè, perueniat,  
sola Hibernia, perinde quasi  
Cimmerius tenebris hactenus effet oppilata, in  
crassa obscuritate ubique pàne delitescat. Nam  
ut eorum monumenta, acerrima ac attentissima  
meditatiōne percurras, qui se totos in regionum  
terrestrium, atque maritimarum rerum perue-  
stigatione posuerunt; tamen vix aliquod ex eo-  
rum scriptis verbum expiscari potes, (extra  
Abrahamum Ortelium, clarum in Geographia  
ac nobilem) quod ad nationem nostram, meritis  
laudibus illustrandam pertinere videatur: contrá-  
que, si quam tandem de Hibernia mentionem fa-*

ciant, eam vel rumusculorum mendaciunculis imprudenter onerant, vel importunis maledictis impudenter figunt. Ceterum à quo capite tam abiecta & ignobilitatis labem arcessas, non ita facile statuere potes. Neque enim huiusce rei culpa in florissimam insulam est conferenda, cum quaequidem cali salubritate, agrorum fertilitate, ubertate frugum, amoenitate fontium, opportunitate fluminum, portuosis stationibus, siluarum proceritate, ditissimis metallorum venis, passionis magnitudine, armentorum gregibus conferre paucas, anteferre nullas regiones valeas. Quod si in huius insule incolas oculos inferre velis, illi quidem corporis commoditate, ingenij acumine, ceterisq; animi ornamenti usque èò præstant, ut nihil eis aut à natura non oblatum, aut ab industria recusaturn videatur. Ac mihi quidem in fatalem hanc Hibernia (quam nimis diu hausit) calamitatem cum frequenter, tum dolenter intuenti, duæ potissimum rationes obueniunt, è quibus, tanquam ex impura vomica, huius colluisionis guttae diminant: quarum alteram in procerum socordia, alteram in quorundam scurrarum impudenteria positam animaduerto. Hibernia enim optimates in natuua patriæ gleba, tanquam in visco, ita mordicus inhærescunt, ut exteræ gentes peragrange, in-

re, instar mortis arbitrentur. Hinc homines transmarini minimè valent, vel Hibernorum nobilitatem oculis colligere, vel insulae dignitatem auri-  
bus accipere, vel honorificam præclaræ nationis  
memoriam usurpare. Quòd si nostri heroës ex-  
iguis vnius insulae cancellis minimè se circumscri-  
berent, sed in aliis etiam orbis terrarum partibus,  
insita virtutis & bellicæ laudis tropæa constitue-  
rent: Hibernia famam, perbreui tempore, longè  
atque latè propagare potuissent. Tantum autem  
abest, ut ad tam prædicabile studium proceres in-  
cendantur; ut in domesticis elogii, tanquam cu-  
mulatissimo rerum gestarum præmio satiati, om-  
nino conquiescant. In quo quidem profecto, meo  
animo, magnus eorum exsistit error. Nam qua-  
lem habet dignitatem, in patria tantum umbra-  
culis florescere, eamq; gloriam, quæ cum magnifico  
nominis ac prædicationis statu, per exteræ gentes  
vagari debet, parietum veluti sifarius admodum  
abiecte occulere? Par est enim, ut is, qui summo-  
rum virorum res gestas mira impigritate imita-  
tur, summorum etiam virorum famam, inex-  
hausta aviditate aucupetur. Quid est, medius fi-  
dius, quòd eorum præmium non sit persimile, quo-  
rum meritum non ej; disparile? Verum enim uero  
hoc incommodum moderatiore animo esset feren-

A. 3 dum, si

dum, si non despicatissimi plani, qui à teneris unguiculis bellum honestatis studiis indictum habent, Hibernorū dignitati labem in singulos dies aspergerent. Sunt enim, quod ipsum est miserabile, in nostra patria quam minimè pauci, & inepti nebulones, terra filij, nec ingenuis parentibus orti, nec optimarum artium studiis exculti, nec urbani-tatis blandimentis perpoliti, qui, tametsi in nulla re fortassis alia atatem contriuerunt, quam ut, tanquam pullarij, gallina oua in materno auia-rio numerare discant, Romam tamen intempestiui aduolant, ibique in hoc unum omnem curam, atque operam conferunt, ut, cum pontificia dignitate domum redeant. Quibus autem viis huiusmodi candidati aditum ad hoc honoris fastigium patefaciant altius videtur repetendum. Hic igitur noster Cornelius, simul illius animus ambitio-nis astutumet, ex patro nidulo comatus ac brac-catus, sed vix commode calceatus in remotas na-tiones euolat. Et licet nullum argenti scrupulum, cùm se in viam dat, pro viatico habeat, tamen, se satis pecuniosum fore auguratur. Cùm enim ei natura pedes & vocem dederit, pedibus iter quod suscepit conficiet; voce, quam in questum conferre statutum habet, ex diurna mendicitate citò emerget. Qualis enim cumque viator ei obuius erit;

erit; eum, nisi pari paupertate adflictetur; ad liberalitatem importunissimis precibus flectet. Se nimurum ab extremis Hibernia oris illuc aduenisse; à nefariis latronibus omni argento spoliatum; Romanam, religionis ergo, cogitare; non posse ad capu- nem, propterea quod sine nummis sit, diuertere; sibi igitur necesse esse sub dio, absque cibariis per noctare, nisi vir aliquis ad Christianam pietatem insignis, illius egestatem in animum inducat sustentare. Hac verò tam lamentabili vulnante que voce profert, ut nemo homo ad largiendum adeo possit restrictus esse, qui ad supplicem male vestiti peregrini petitionem obdurescat. Cum igitur ad hunc modum os perficarit, atq. viatici lacunam, suprà quam quisque opinari potest, explerit (sunt enim Itali in egentes religiosi stipe cumulatissimè liberales) tandem ad urbem bene nummatus accedit, et in tabernam aliquam, quæ Graco aut Falerno vino abundat, se coniicit. Posteaquam ibi triduum, aut quatriduum, una cum circumforaneis gentis sua combibonibus est commessatus, consilia cum coniuuis sociat. Iti verò bene poti de Cornelij aduentu magna disquisitione inter se commentantur; que ratio ei sit ineunda, ut domum, quasi honorarius mystagogus, quam celerimè reueniat. Nullus honor prater pontificis, ca-

pacem

pacem hominis mentem implere poterit. Huiuscemodi verò importuna petitiones ita cottidie increbescunt, ut iam nunc apud Romanos in proverbi consuetudinem veniat, quoties in mendiculum aliquē Hibernum incident perfacetam hanc ei questiunculam ponere: Domine, visne Episcopari? Hic fortasse vir aliquis, Christiana quādam animi mollitia, ac lenitate præditus, non ita facilè adduci poterit, ut de hisce hominibus diffīllimè sentiat; contrāque sibi persuadebit, eorum ambitionem improbandam, doctrinam verò collaudandam, qui, nisi essent omni litterarum genere affluenter instructi, nunquam se, tantis honoribus decorari flagitarent. Bona, & caritatis plena cogitatio. Habet quidem cordatus noster Cornelius in quo gloriari posset, atque etiam in quo veteres sanctos pontifices, qui heroicis temporibus floruerunt (quales erant, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Martinus, & Gregorius) superare videatur. Quamquam enim illi litteratissimi patres in sacra scriptura admirabiles progressus habuerunt; infinitos, tum legendo, tum scribendo labores exantlarunt; curris & vigiliis callum obduxerunt; non tamen singulas tantorum studiorum sententias, ut hic nostras, memoriter poterant recitare. Quid ais?

Totam-

Totamne, amabo, ut alia omittam, sacram litteraturam? Qui potest? Etiamne vetus instrumentum? Magnum, imo verò incredibile opus. Euangelion aliquod integrum? Audio. Epistolas verò Pauli? Quād vellem numerare eas posset. unam tandem? Nihil profectò minus. Jacobi, Petri, vel Iuda litteras? Utinam. Non Apocalypsim? risum moues. Quid ergo? Dic, o rote, celerius. Ain' tandem? igitur ausculta. Qui Episcopatum desiderat, Bonum opus desiderat. utrum hoc Petrus, vel Paulus scrips erit; viderint Theologi. Hac est summa totius doctrinae, hoc tantum Latinitatis habet, hanc sententiam mente sapientia agitura, crebris sermonibus usurpare solet. Verum illud esto. Qui Episcopatu m, ait, desiderat, bonum opus desiderat. Et illud bonum opus bonum etiam, ac litteratum virum efflagitat. Quippe eandem cautionem huic tam præclaro operi diuus Paulus adhibet. Neque enim inficiari possum, bonum opus, atque adeo perarduum esse, religionem moderari; cupiditates frangere; fluxis huius mundi lenociniis renuntiare; domum hospitibus patentem habere; te ad gregis tui curam reuocare; multorum animas euangelij hamo, salutariter capere; Christi plebem numinis præceptis, institutisq; temperare; veram doctrinam hominum mentibus

inserere; falsas opiniones euellere. Fuit quoddam tempus, cum viri, omni virtutis & doctrinalaude cumulati, ne tantum onus atque munus susciperent, partim in solitudines discesserunt, partim in tenuis, ut se ab insequentis populi cursu disiungerent, multos dies latitarunt. Tunc igitur, qui sacrarum litterarum studia, ne primis quidem labris, gustaueras, qui nunquam ad academiam accesseras, qui ne extremis quidem digitis grammaticorum crepundia attigeras, qui vix Latinum librum manibus attrectaueras, audebis tanti muneris gubernacula capere, & tamquam temerarius Phaeton, solis habenas inconsideratissime tractare? Apage sis impudentissime furcifer. Non capiunt pectoris tui angustia, qualem provinciam deposcas, quantum oneris tibi imponas. Nec enim ea, que tu falso existimas, inanissima honoris insignia pontificem efficiunt. Insit oportet, in tam excelso magnificoq; magistratu, animi robur, mira vita integritas, ingenium acre, magnus usus, sumnum consilium, incredibilis quadam doctrina abundantia. Ea vero quam tuum os ferreum adfert, scurrilis impudentia à tanti presulis moribus longissime debet abhorrere. Nunquam enim procacitas cum religione permiscetur, nec ad sanctitatem impuritas admittitur. Non mirum

mirum est, multorum animas ad tormentarium  
inferorum gurgustium precipites ruere, ubi tales  
idiota Christianam rem pub. capessunt. Nulla  
enim diæcessis tanto est religionis studio incensa,  
quam non improbi pontificis inscientia peruertere,  
atque violare posse. Sapè quidem, optime at-  
que amantissime frater, cum acerbos nostra gen-  
tis casus inter nos ingemiscentes doleremus, sor-  
dem hanc & facem è repub. exhauriendam, sa-  
pientissimè iudicabas. Neque enim spem fore, pa-  
triam nostram in hominum gloriam venturam,  
quamdiu eius amplitudinem illiusmodi simoli  
maculis adspergant. Etenim quem mihi ita bene  
natura constitutum dabis, qui non frequentius  
barbarum peregrina nationis nidorem, quam pel-  
lucentem urbanitatis splendorem memoria repli-  
ceret? Quocirca, ut exteræ gentes intelligent, sor-  
didam hanc montuagi seruitij peregrinationem  
illis molestam & putidam videri, qui in repub. no-  
stra dignitate valent, non abs re duxi, erraticos,  
ac effusè petulantes hosce prodromos dentata char-  
ta exagitare. Atque hoc unum moderatos, &  
graues fthalos, prorsus vehementer, etiam atque  
etiam rogo, & obsecro, ne Hibernorum nobilita-  
tem talium mendiculorum indignitate, qui nihil  
habent, prater dedecus, metiendam arbitrentur.

Ecquando enim aliquod peristylum tam vermiculato opere splendescit, in cuius pavimento non aliqua quisquilia oblitescunt? Hoc autem loco, Plunkete frater, non necesse habeo, eas rationes propter tuos oculos ponere, quibus adductus, me ab occupatissimis meis studiis ad gentis nostra historiam exscribendam abduxerunt; quem, ut tute compertum habes, de nationis nostra laudibus celebrandis non mediocris semper cura attigit. Utili-  
lud item in præteritis non relinquam, me, sponte ac voluntate currentem, non ita pridem esse incitatum; partem ut senescentem domi maiorum nostrorum gloriam à nostratium obliuione vindicarem; partim, ut litterarum monumentis patriam ex diuturnis tenebris eruerem, atque exteras gentes ad memoriam præstantis insula excitarem. Addo etiam, alias nationes, propterea quod hactenus nostri iuris minus retinentes fuimus, in laudatissima Hibernia ornamenta, tanquam in vacuam & caducam possessionem, inuolasse. Hinc

In descript. Hispan. Damiano Goësio in mentem venit, Sedulium, suauem poëtam, in Lusitanorum numero repone-

Vide Ap. p. d. ca. 17. re. In quo sanè Hibernia magnam iniuriam hominem minimè malus infert. Erat Sedulus non Hibernus modo, sed totius etiam Hibernæ lumen. Nec patiemur tam præclarum virum extra suam

~~tempor.~~

patriam,

patriam, contra fas, diutius exsulare; quin potius  
in pristina hereditate, quasi quadam cretione, e-  
rit collocandus. Quod autem hos meos labores,  
iam nunc in vulgus peruagatos, sub tuo, frater,  
nomine apparere volui, multa me rationes in eam  
mentem impulerunt. Primùm, quod maiores  
tui, in constituenda, moderandaq; nostra repub.  
ad summos honores meritissimò ascenderunt. In  
quibus viris exstinctam illiminata nobilitas, at-  
que illuminata nobilitate amplificata virtus, ut  
& rogati prudentia, & armati fortitudine rem-  
pub. praeclarè temperarint. Quis enim Dunsanie  
dynastas in oculis non ferat: quætas de domino-  
rum Killenia fama conticuit? E quæ diecula præ-  
teruolauit, in qua Louthia Barones non efflorue-  
runt? Denique in quib; compitis pedem ponas, ad  
quem angportum digitum intendas, in quas va-  
luas oculos coniicias, in quibus Plunketorum collu-  
strata insignia, & rerum non solum gestarum, sed  
etiam fortiter excellenterq; gestarum expressa ve-  
stigia circulanti non liceat contueri? Deinde hoc  
adiungo, in eadem patria, & in eadem etiam pa-  
tria particula, ambos nos prognatos esse. Sugge-  
stum & item sit illud, familiaritatem nostram ab  
ineunte astate nobiscum creuisse. propius verò ac-  
cedit, nuptiali, fraternaq; nos esse coniunctione, in

clarissima Barneuallorum familia, copulatos. Caput autem est, quod ita mirabiliter non solum mutuo amore, sed etiam iudicio nos inuicem diligamus, ut patria communionem vetus necessitudo, veterem necessitudinem coniunctissima affinitas, coniunctissimam affinitatem stabilis & perpetua amicitia quasi camentum conglutinet, & confirmet. verum quò citius hoc, quod suscep- ram, negotij transfigere atque expedire valeam, te ab Hibernica historia lectione diutius non retardabo, si prius hac clausula orationem meam terminaro, ut hoc meum tenuie, ac leuidense munusculum illustri gratia excipias. Ego vero te tuosq; omnes summa, ut par est, obseruantia colam. Alterum de facilitate tua sperare valeo, alterum de fidelitate mea prestare volo. Prius autem quam ad historię explicationem aggrediar, in institutum opus multum valebit, nonnulla, que ad terrae situm, insula naturam, incolarum mores per- tinent, litteris & monumentis consignare. Equidem talem præventionem summis placuisse histo- riciis, video.

PLERI-

**D**LERİQUE scriptorum, qui vel in Geographia, vel in Annalium confectione elaboratunt, atque Hiberniam attigerunt, vha confensione affirmant, eam insulam cum dimidiata tantum Britanniae parte æquari. Quæ sanè afeueratio ad veritatem videtur accedere, modò homines litigiosi nullam, in nominis ambiguitate, contentionem ponant. Nam si in significationem Britanniae peruagatissimam considerationem intendas, quatenus Angliam, Scotiam, & Cambriam (quæ vulgo Wallia dicitur) comprehendit, apertam cuiuis veritatem continet. Verùm si diffusam verbi vim ad certam aliquam Britanniae partem coarctes, ut ad Angliam solam, à Scotia & Cambria seuocatam, aut ad Scotiam & Cambriam, ab Anglia disclusam, perspicuè falsum est, quod scribunt. Hibernia enim si non Angliam longitudine superat, ab Anglia tamen non superatur. Siquidem Geraldus Cambrensis, vir tam Britanicæ, quam Hibernicæ antiquitatis scientissimus, ab hac sententia nihil dissentit, iinò verò prorsus confirmat. Aferit, Britanniam in longitudine 800. in latitudine 200. milliaria complecti: Hiberniam verò ab extrema Rendanicorum montium ora ad Columbae promotoriam usque, quod Thorach dicitur, trecentos mille passus supra viginti, si longitudinis mentionem respicias, habere, atqui ab urbe Dublinio ad D. Patricij colles, & mare Connacticum 160. mille passus, modò insulæ latitudo metienda sit, continere. Iam verò cùm Hibernica milliaria Britannicis maiora exsistat (quod ipsum omnes, qui utramque insulam peragrarunt, præclarè intelligunt) si totam hanc

Hiberniæ  
cum Britan-  
nia compa-  
ratio.

Britanniae  
significatio  
duplex.

Lib. 1. Topo-  
graph. Hi-  
ber. dist. 1.  
vide infra  
appèd. cap. 3.

Magnitudo  
& dimensio  
Hiberniæ.

Hibernia  
vnde dicta.

Claud.lib.7.  
paua.

Satyr. 2.

In Britan.  
Breviar. & in  
epist. ad A-  
brah. Or. cl.

Vide Iohan.  
Gerund. pa-  
rap. lib. 1.  
tom. 1. Hisp.  
scrip. & Fras.  
Taraph. to. 2.  
pag. 677.

hanc mensuram ad calculos reuocemus, satis persuasum esse debet, Hiberniam Angliae magnitudinem adæquare. Ceterum vnde Hibernia suum habet nomen ductum, difficilis apud nonnullos est quæstio. Quidam suspicati sunt, Hibernæ notionem inde fuisse deriuatam, quod aquæ ibi, hibernis temporibus, vehementissima frigorum magnitudine, conglacient. Quod certò scio, aliter esse. Habet ea insula aërem mirificè temperatum, usque eò, ut multos annos liceat in Hibernia hibernare, & in plerisque partibus vix aliquam glaciem, per totam hiemem, conspicias. Aqua quidem pluuiæ ibi frequentius abundat, non ea tamen, ex qua multum detrimenti incolæ capiant. Atq. hic falsus rumor Claudianum, optimum auctorem, in fraudem, ut verisimile est, impulit. inquit,

*Scotorum cumulos fleuit glacialis Hiberna.*

Iuuenalis hanc insulam Iuernam appellat:

— arma quid ultra

*Litora Iuernæ promouimus, & modò captas  
Orcadas, ac minima contentos nocte Britannos.*

Hæc autem appellatio Humfrido Lhido multùm arridet. verùm licet tantum huic vetustatis heluoni tribuam, quantum docto & eruditio viro tribuendum censem, in hoc tamen ab illius sententia non queo non discrepare. vetus igitur, & vera opinio nostrorum Annalium est, Hibernæ nomen, vel ab Ibero seu Ebero, Hispaniensi flumine, vel ab Ibero, rege Hispanorum secundo (quorum satu, sine controuersia, Hiberni sunt orti) fuisse iam olim traductum. Etsi enim hic discordant Hispanici scriptores, tamē mihi Francisci Taraphæ sententia ad veritatem videtur propensior. Quod verò Claudi-

Claudianus hanc insulam Hibernam, & nō Hiberniam nominet; danda est hæc licentia poëtis. Talibus concessum est, quoniam numeris sunt astrictiores, vnam quandoque litteram delumbare, interdum quidem appingere. Hoc etiam nomen Hiberni, in hunc usque diem, vernacula lingua, retinent. vocant Hiberniam Eriinn ab Ebero, vel Ibero. Ab Anglis Irlandia appellatur, quasi Erinterra. Cùm igitur priscis temporibus Eriinnlandia diceretur, temporis progressu Irlandiæ nominationem, ab Anglorum posteritate, accepit. Quandoquidem multæ voces solent diuturnitate variari. Antiquitatum scriptores huic insulæ Scotiæ nomen impoſuerunt. Duplicem fuisse Scotiam constat: Maiorem & Minorem. Hibernia Maioris, ea verò Britanniæ pars, quæ à nonnullis Albania, iam Scotia communiter appellatur, Minoris nomine signata est. Siquidem Scotti Albanenses in eam, quam iam nunc incolunt terram, ab Hibernia tamquam riuiuli à fonte deducti, influxerunt. verùm à quo primùm initio Scotiæ nomen sit tractum, nondum planè perspectum video. Subinsulsa est corum opinio, qui verbi vim ad Græcas litteras reuocantes, à vocula, σκότος, quod obscuritatis tenebris fuerit opacata, insulam nominari confirmant. Quasi verò nullà alia orbis terrarum particula ab hominum cognitione, simili ignoratione, fuerit remota. Gaidelus Græculus (vt scriptum apud Hectorem Boëthium est) conflatam militum manum adeptus, ad Pharaonem, regem Ægyptium, aduentauit, & quia is, cum sua cohorte, eorum & impetu fregit, & amentiam obruit, qui Pharaoni bellum fecerunt: rex, quo victori meritam gratiam, debitamque referret, filiam suam adolescentem

De his plura  
lege in ap-  
pend. cap. 17.  
& 19.  
Scotti ab Hi-  
bernis oriun-  
di.  
Scotiæ no-  
men unde.

Vide append.  
cap. 17.

tem, Scota, dictam, Gaidelo, libentissimo animo, despontit. Quare ut tanti connubij dignitas, ad posteritatis memoriam prodita, effloresceret, omnes isti Græci se Scotos, Hiberniam, in qua, post confederunt, Scotiæ nomine nuncuparunt. verum hoc totum, tamquam vanam poetriæ fabellam Georgius Buchananus, & ante illum Humfridus Lhuidus, cuius modò mentione feci, rejecit & respuit. Et si vero Hector Boëthius huius seu rei factæ, seu fabulæ non est architectus, tamen totam narrationem mendaciunculis, more suo, perspergit. Magna quidem ambitione scriptor ille de gentis suæ gloria laborauit. In quo sanè conatu, & patriæ dignitati, & suæ existimationi parum consuluit. Hoc enim iam apud Doctos est adsecutus, vt cum veritatis gratia, omnia scripsisse, videri se velit, nihil ferè verum arbitrentur, quod scripsit. Quippe quorsum spectat, maiorum suorum gesta ad hominum memoriam tanta verborum maiestate, commendare? Illos nimirum Hispanos quatefecisse, Hibernos, solo severitatis vultu, expugnasse, de finitimis Britannis, quoties voluerunt, triumphum egisse, vbi cumque pedem figerent, omnes his victoribus, ferocitate exsultantibus, ea summissione obtemperasse, vt Scotos non tam in alienas terras irrupisse, quam in proprias immigrasse iudicares. Hæc quidem somnia fabularum aniculæ fortassis admirationem, Abderæ alicui applausum, intelligentibus vero risum mouent. Habuerint Scoti, sicut & plurimæ quondam nationes, quæ iam nunc celebritate famæ, in magno nomine sunt, sua quasi cunabula, aliqua barbarie infuscata. Et hoc prudentius esset confiteri, quam, commentitia hac rerum gestarum gloria, seipso apud imperitos venditare.

Buch. lib. 2.  
rer. Scot.  
Humf.  
Lhuid.in  
Breui. Brita.  
Hector Boë-  
thius infidus  
scriptor.

venditare. Nec verò hæc ita accipi velim, quasi Scotorum famam, honoremq; depeculari cupiam; quos sanè animi magnitudine, bellica virtute, insigni prudenteria sempiternæ laudis famam confecisse agnosco. Neque enim hoc est, veram illis laudem adimere, falsam eis non adfingere. Adhæc tantum abest, ut debitæ gloriæ commendationem euertam, ut quidquid ab illis fortiter auimoseq;. gestum sit, in eo ipso Hibernos, qui Scotorum erant procreatores, riuales habendos statuam. Hoc tantum significandum putaui, ad summam Scotorum existimationem in primis pertinere, alicui inter ipsos acerrimo critico, & integerrima religione prædicto, negotium imponere, Boëthij librum, qui ut verum fatear, politè eleganterque scriptus est, & ut leuissimè dicam, mendoris est, limatula seueritatis norma corrigeare, & singulas narrationes, non inanis gloriolæ trutina, sed veritatis statera ponderare. Mentiri enim dedita opera, cùm in omni re foedum sit, tum in historia foedissimum est. Nam quî tale monumentum vetustatis tabellarium, scientiæ thesaurus, inscitiae deletrix, lumen veritatis nominetur, quod est vanitatis caligine obiectum & contaminatum? Sed iam ad institutum reuertar meum. Hibernia in quinque partes, seu prouincias dividitur: in Lageniam, in oriente, Connatiā, vel Connactiam in occidente, Ultoniam in aquilonari parte, & Mōmoniam, in australi plaga sitam. Quinta pars Media appellatur, siue quod ex his quattuor aliquam particulam sibi adsciscat, siue quod in meditullio, & quasi insulæ umbilico posita sit: quod ipsum non Geometrica decempeda, sed vulgari populariisque coniectura accipiendum est. Huius autē diuisionis hæc caussa datur.

Diuisio H<sup>i</sup>  
berniae.

Vide appen-  
di. cap. 14.

Primi reguli  
Hibernorū.

Anno, ex quo totius vniuersitatis fabricator machinam mundi fuit architectus, 2535. quinque germani fratres, amplissimi (sic enim est traditum) & clarissimi viri, vastissimum mare præteruecti, armata ac instructa classula ad Hiberniam nauigarunt. Horum nomina sunt Gandius, Genandius, Sagandus, Rutherfordus, & Slanius. Hi cum terram incultam, & miram incolarum pacitatem reperissent (qui etiam in re militari inexerciti fuerunt) statuerant, totam insulam in quattuor prouincias, peræqua proportione, distribuere; ut singuli fratres in singulis prouinciis perpetuum imperium firmarent. Quod satis concinne factum fuit. At verò ne Slanium, ætate minorem, prorsus indotatum relinquerent, vna voce consentiebant, aliquas è quattuor partibus, glebas decerpere, iisdemque Slanium munerare. Ille quidem munus hoc à distributoribus, prompta animi voluntate, accepit: & exinde Mediæ appellationem emanasse, probabile nonnullis, & pænè verum videtur. Et si autem isti quinque fratres, in noui dominatus cunis, concordissimè vixerunt, tamen postea cœperunt, vi eorum corroborata, inter se digladiari (nam Venus, & imperium solent difficiliter riualitatem tolerare) atq. in hac dimicione, ceteris partim fugatis, partim extinctis, Slanius natu minimus, victoria maximus euasit. Hunc ferunt humatum propter Mediæ montem, qui hodierno etiam die, Slanij mons vocatur. In hisce quinque prouinciis alia quædam notabilia territoria ponuntur. ut in Lagenia includuntur Fingallia, Offalia, Leisia, Of-siria, & Ormundia. In Media reponuntur, Slania, Fouria, & Deluinia. In Connatia comprehenditur Claria. In Ultonia continentur Vrilia, Antrimmia, Lecalia, ac

Magis di-  
stincta pro-  
vinciarum  
partitio.

Treconelia. In Mononia concluduntur Tripperaria,  
Keria, Cosmaia, Desmondia, Tomondia, nonnullaque  
alia, quae nihil attinet nominare. Hiberniae partes ex-  
posui, restat nunc, de vrbibus & opidis pauca explicare.  
Dublinium est totius Hiberniae, non Lageniae solum  
princeps ciuitas: celebris quidem vrbis & copiosa, mul-  
titudine ciuium, descriptione ædificiorum & pulchritu-  
dine, sumptuosa architectura magnificantia, nitida illa,  
ciuicaque vitæ & cultus munditia, reliquis omnibus  
longè plurimum antestare cognoscitur. Hic dicæ, hic  
iudicia, cum vnuis alteri litem intendit, constituuntur.  
Hic publica regni comitia (quæ vulgo parliamento di-  
cuntur) frequentius celebrantur. In hac vrbte insulae  
procuratores, ut plurimum consident. Liffeus amnis  
illic præterlabitur, raro autem rapidè fertur, nisi post in-  
gentem pluviæ vim: ceteroquin admodum sedatus fluit.  
Mare item propè est. verùm omnes ibi crepidines, &  
præsertim portus ostium tamen immensis arenæ aggeri-  
bus obturatur, ut non, absque magno naufragij pericu-  
lo, maiores naues ad ista loca possis applicare. Atque  
ex hac obstructione multum incomodorum cum om-  
nes ciues, tum præcipue mercatores consequuntur. ve-  
rùm non longo interuallo distat à ciuitate (nam septem  
solum millaria Britannica numerantur) Hothia pñè  
incincta mari, vbi nobilissimæ Sanct-Laurentinorum  
familia primus (qui dominus Baro Hothiæ appellatur)  
habitat; & non procul inde sita est Malahidia, in qua, il-  
lustrissima Talbotorum stirps, quadraginta ferè annos,  
ut in legitimo patrimonio, hæsit: in vtroque, inquam, ter-  
ritorio receptacula reperiuntur vtcunq. portuosa, in qui-  
bus nauigia, anchorarū aduncitate fixa, securè satis flu-

Dublinium  
metropolis,  
et usque de-  
scriptio.

Et uare possunt. Quod ipsum de Polbegia, in parte altera aduersæ ripæ posita, & de Sono Dalkiæ est sentendum. Præcipuum, in hac ciuitate, delubrum diuinitati, S. Patricij nomine, est consecratum, præclarum ac augustum templum, & amplissimis sacerdotiis locupletatum. fundator huius structuræ fuit Iohannes Ciminus, præsul ad omnem virtutis laudem natus. Hoc etiam templum Anglorum rex, Iohannes, annuis congiariis amplificauit. Item exstat, in hac urbe, per amplus castellum, pulcherrimo prospetu, ac firmissimo lapidum sepimento obuallatum. Aedificauit illud Henricus Loundreus, Dublinij quondam, ut Iohannes Ciminus, Archiepiscopus, omni pietatis genere excellens. Nostro autem tempore, dum Henricus Sidneius, satrapas dignitatis plenissimus, vicarium principis munus in insula sustinebat, ampla & præclara aedificia in castello exstructa erant. In hanc commemorabilem aedificationem nos iam olim hoc epigramma fecimus.

*Gesta libri referunt multorum clara virorum,  
Laudis & in Chartis stigmata fixa manent.  
Verum Sidnæi laudes hac saxa loquuntur,  
Nec iacet in solis gloria tanta libræ.  
Si libri pereant, homines remanere valebunt,  
Si pereant homines, ligna manere queunt.  
Lignaq; si pereant, non ergo saxa peribunt,  
Saxaq; si pereant tempore, tempus erit.  
Si pereat tempus, minimè consumitur ævum,  
Quod cum principio, sed sine fine manet.  
Dum libri florent, homines dum viuere possunt;  
Dum quoque, cum lignis, saxa manere valent;  
Dum remanet tempus, dum denique permanet ævum,  
Laus tua, Sidnæi, digna perire nequit.*

Secundas, inter Hiberniæ urbes, fert Waterfordia, in  
primis

primis honesta, & officiis fidelis ciuitas ; propter angustiores vicos non admodum luminosa , prudentibus & bene moratis ciuibus referta. Habet tutum, & tranquillum portum, atq. exterarum nauium sæpen numero plenū. Frequentes etiā Waterfordiæ ciues sunt, qui mercaturas faciunt: in quo sanè negotio, vsq. eò prudenter ré familiarem administrant, adeò caute rationes subducunt, vt, breui negotiatione, magnas sibi opes soleat comparare. In Hispaniâ præcipiè nauiculariam faciunt. Nihil plurimq. æris alieni habent, in suis numinis plurimis sunt. Nullus ibi viuit mensarius, qui fraudulentio collybo aut intolerabili fœneratione (omniū rerumpub. busto) in ciuium bonis, ac direptionibus versatur. Ciues sunt facilis, benigni, frugi, per hospitales, priuatis & publicis rationibus utilissimi. Appellauit hanc vrbem antiquitas Manapiam, sicut & Dublitiū, Eblanam. Amellana rectius nuncuparetur, ab Amellano, qui eam vrbem condidit, quemadmodum & Sitaracus Waterfordiam, & Iuorus Limmiricū fundasse fertur. Erant isti Germani fratres, Ostomanni à nostris dicūtur, qui, in Hibernia, magnam olim dignitatem obtinebant. Limmiricū autem (de qua vrbē modo dictum est) in tertīis consistit. verumtamen loci situ, fluminis dignitate huic vrbī palma est danda. Alluitur Sannonio fluuiō, omnium Hibernorum fluminum, absque controvērsia, principe. Ab alto sexaginta milliariorum interuallo distat. Tamen onerarias naues ad ciuitatis muros nauarchi appellunt: nec est, quod scopolosas cotes, in toto illo cursu, offendere, multū pertinet. Incredibile est, quantam piscium vberatem, & copiam ibi reperias. Huius vrbis amoenitate captus Iohannes, Angliæ rex, quo de antè scrip-

Circa Annū  
Salut. 900.

Vide append.  
cap. 28.

Limmiri-  
cum vrbis.

Corcagia  
vrbis.

tum est, egregium castellum, & pontem illic construendum curauit. Quarta Hiberniae vrbis Corcagia dicitur, ceteris minor, portu tamen excellenti, & tuto est ornata. Hic etiam ciues, copiis satis locupletes, operam mercaturae nauant, res suas domi forisque frugaliter obeunt. Atqui haec tantum quattuor sunt, in Hibernia, vrbes, seu ciuitates (neque enim horum verborum vim, curiosa distinctione, hinc respicio) quarum tres ultimae in Mo-

Plures alia o-  
pida ac mu-  
nic pia.

monia, Dublinium in Lagenia consistit. permulta tamen sunt ibi opida, ac municipia sat magna, moenibusque cincta: ut in Momonia, Kinsalia, Cassilia, Yoghelia, Rossia, Lismoria, Clonmella, Kilmalochia. In Conatia est Galueia, opidum ab exteris negotiatoribus validè frequentatum, & opulentis mercatoribus, suique negotij bene gerentibus cumulatum. Ferunt, mercatorem transmarinum, qui habuit multum cum his opidanis commercium, olim percunctatum ex Hiberno quodam, in qua Galueiae parte Hibernia consisteret? Opidum pro regione, contraque insulam pro municipio aliquo accepit. Galueiae annumerantur Anneria, Claria, Sligagia, Arctlonia, & Alonia, opidulum non contemnendum. In Media numeratur Pontana, quæ vulgariter Droghedaia nominatur, opidum lautissimum, portum habet nauali stationi per appositorum. Sunt tamen qui medium huius opidi partem, nimirum transflumen, in Vltonia ponant. Insunt item in Media, Molingaria, Fouria, Deluinia, Trimmia, Kellesia, Nauania, Aboia, Dulekia, & Scrinia. In Lagenia sunt Nacia, Kildaria, Catherlagia, Guesfordia, Arctlonia, Wiklonia, Thomas opidum, Kallania, & Kilkennia municipium perelegans, atque mediterraneum, non procul ab his locis sedem habet,

Kilkennia  
municipium

habet, quæ Lageniæ extremitatem attingunt: loci situm  
cum primis excellens, nulla aëris crassitudine infuscata.  
Ex una plaga camporum amoenitate, ex altera siluis ab-  
undat. Habet nobilem amnem, quo nihil æstate fri-  
gidius, Norum appellant. Huius putissimis liquoribus  
per reconditas terræ venas diffluentibus, horti ad ripam  
locati continuò irrigantur. Multis egregiis monumen-  
tis, & quod caput est, honestissimis opidanis illustratur.  
Exstat in hoc opido schola, exstructa opibus clarissimi  
viri, Petri Butleri, Ormondiæ, & Ossiriæ comitis, &  
vxoris eius, quæ Margareta Giralta vocabatur: femina  
fuit spectatissima; non modò summa generis nobilita-  
te, quippe comitis Kildariæ filia, sed rerum etiam pru-  
dentia, supra muliebrem captum, prædita. Hic ludum  
aperuit, nostra ætate, Petrus Whitus, cuius in totam  
Rempub. summa constant merita. Ex illius enim scho-  
la, tamquam ex equo Troico, homines litteratissimi in  
reipub. lucem prodierunt. Quos ego hîc Whiteos,  
quos Quernfordos, quos Walsheos, quos Wadingos,  
quos Dormeros, quos Shethos, quos Garueos, quos But-  
leros, quos Archeros, quos Strongos, quos Lombardos,  
excellentes ingenio, & doctrina viros, commemorare  
potuisse, qui primis temporibus ætatis in eius discipli-  
nam se tradiderunt. Huic ego doctori operam, in ca-  
dem schola, puerulus dedi. Cui quidem homini tanto  
officio ac potius pietate sum deuinctus, ut haud sciām,  
quî remunerando esse possim, cùm infinita eius in me  
merita ne numerando quidem percensere valeam. Sed  
hæc hactenus, nunc ad propositum. Iam verò Vltonia,  
quæ Septemtrionalem insulæ partem occupat, & Sco-  
tiæ citima est, (nam per angusto freto ab ea diuiditur)

In eo Schola.

Petri Whiti  
formatoris  
iuentutis  
laus.Vltonia pro-  
uncia.

nullam, nostra ætate, ciuitatem habet. Agrestis est ista prouincia (Vriliæ territorium, aliosque perpaucos campos excipio) & ab hominum cultura ferè deserta. Nam non multos agros ibi obsitos videbis, & idcirco Ultionenses non sunt multi panis homines. Siquidem inter eos pecuarij plurimi, sed aratores rarissimi vivunt: qui glebam, natura bene fertilem, aratri vomere perstrin-gunt. Stetit inibi quondam vrbs Dunensis, sed eam confecit ac consumisit vetustas. Hæc, priscis temporibus, magno in honore fuit: nunc tantum villula, cum veteris structuræ parietinis appetat, in qua corpora D. Patricij, Columbae, & Brigidae fuerunt sepulta. Quo tempore, illum locum habuisse multum religionis, Annales referunt. De quorum sepultura peruetusti hi-versus percelebrantur.

*Hic tres in Duno tumulo tumulantur in uno  
Brigida, Patricius, atque Columba pius.*

In Catal. re-  
gum Scot.

Exstat item in hac prouincia, Karregfergus, cui opidulo ideo hoc nomen erat impositum, quia Fergusius Hibernus, primus, ut Hectori Boëthio placet, Scotorum Albanenium rex, ibi erat submersus. Nam Karreg Fergus, Hibernica lingua, scopulum Fergusij significat: De quo fatali exitu nos olim ita diximus.

*Icarus Icareis ut nomina fecerat undis,  
Fergusius Petra sic dedit apta sua.*

Armachia  
Archiepisco-  
pis fides.

Episcoporū  
Hiberniæ  
ordo.

Vide ap. end.  
cap. 10.

In hac etiam parte sedem habet Armachia, quæ, multis abhinc annis, non mediocrem in Hibernia locum obtinebat. Neque prosector iniuria. Archiepiscopo enim Armachano omnes quidem primas tribuunt, cùm sit totius Hiberniæ primas: secundas Dublinien-si, tertias Cassiliensi, ultimas Tuemiensi. Nam quat-tuor.

tuor Archiepiscopi in Hibernia numerantur. verū de huius Insulæ vrbibus, & opidis satis dictum est: deinceps ad aliam eiusdem partitionem transeamus; quæ magna cum cura, & diligentia consideranda est, si quis huius terræ statum cognitum, ac perspectum habere aueat. Quare obseruare diligenter oportebit, Hiberniam in duas partes distributam esse, in Anglicam, & Hibernicam: hanc germani, & genuini Hiberni, illam Anglorum progenies incolit: eaque portio, plebeio sermone, Anglica prouincia nominatur, quod sit Anglorum territorii, quasi palis & septis circumfessa. Etenim posteaquam homines Britannici Dermicum, exactum regem, Hibernis hostibus armis castrisque oppressis, in patriam, atque adeò in regnum restituerunt (quibus de rebus agemus tum cum ad secundum librum peruenimus) Britannici victores sedem stabilem & domicilia certa, in lectis Hiberniae locis habuerunt. Deinde cum inter se & domitos Hibernos quædam quasi insulae diuertia fecissent, tum illam partem in qua coloniam collocarunt, Anglicam prouinciam appellauerunt. Etsi verò primis annis longè lateque patuit: tamen temporis longinquitate, cœpit in exiguo quosdam fines confipari; partim posteriorum socordia, qui dum in bonis, velut firmi possessores, hærere non contenderunt, Hibernicos longius serpere ignauiter passi sunt: partim vero, quod Britannici accolae, quibuscum vicinitas Hibernis erat, eorum moribus obliti à pristina maiorum vrbinate tamquam Circæo poculo pedetentim degenerarint. Maior Lageniæ & Mediæ pars, ac ea Ultoniæ portio, quæ Vrilia dicitur, in Anglicâ prouincia continetur: sed præcipua Lageniæ particula, quæ Fingallia vocatur,

*Alia Hiber-  
nia diuisi.*

*Anglica pro-  
uincia.*

*Eius termini  
& circum-  
scriptio.*

Dublinio, ad Aquilonarem plagam, finitima, primas tenet, secundas Media. Fingalliae enim & Mediæ agricultæ rem rusticam laboriosissimè colunt. Eaque agrorum cultio & satio ad multorum fructum redundat. Vtraque colonia Hiberniae horreum merito nominatur. Nam ceteris insulæ oris frumentum quotannis suppeditat. Tametsi Momoniae, & reliquarum prouinciarum agri, in quibus aratores solum stercoant, & fermentem faciunt, frugibus affatim obserantur. Glebam sanè habet Hibernia cum natura frugiferam, tum industria culturaq. feraciorem. Qui in Anglica prouincia habitant, ab Hibernis, victu, cultu, & sermone differunt. Nam à pristinis Anglorum moribus, ne transuersum quidem vnguē, discedunt. Anglicè item naturaliter loquuntur. Nullo alio cottidiano sermone animi sensa expriunt. Quamuis verò à noua hac, & nimis peregrina magniloquentia, ex gentium exteraruī linguis furacissimè collecta, longius absunt: tamē incorruptam Anglicæ linguæ vetustatem seruant. illam nimirum, quam Chauncerius vetus ac nobilis Poëta, & Anglorum sine dubio Homerus, in suis scriptis usurpauit: qui ita Anglicè dixit, vt non ipsam Angliam magis crederes esse Anglicam. Nihil in illius libris lectori occurret, quod sputatilicam (hoc enim verbum iam olim, nec sine caufsa, ille Romanus risit) nouitatem redoleat: ex alienis linguis verba non mutuatur, quemadmodum solent ætate nostra, illi verborum opifices, qui Anglicè vel tum maximè colloqui se putant, cum etiam minimè Anglicè dicant. Sed vt ad nostros prouinciales Anglos reueruntur, illi sanè simplici quadam voce, non curioso oris pressu verba faciunt. Feminæ non admordum

Mores Hi-  
berno-An-  
glorum.

Chaunceri  
Poëta laus.

dum delicate loquuntur. Rustici satis vastè, ac hiulcè (quod ipsum in aliis regionibus fit) sermocinantur. Cùm itaque vltima hæc Hiberniæ partitio à transmarinis hominibus minus sit percepta, & cognita: magno quidem opere mirari solent, quoties cum Hiberno aliquo in sermonem se dant, qui se Hibernicè nescire confitetur. verùm si in ipsa insula essent, complures edentulos senes, in Anglica prouincia, conspicerent, qui vix vnum, aut alterum verbum Hibernicè loqui, ne dum intelligere possunt. Atq. ego quidem (subringantur alij licet, quantum lubet) eorum in ea lingua insufficientiam valdè probo. Cur enim patriam locutionem, quam à natura hauserunt, respuerent, & ad aliam, illis hactenus minimè assuefactam, derepente transuolarent? Idem ipse locus à me olim erat tractatus, in Hiberniæ descriptione, quam dictione vernacula edidi: meaq. ibi disputatio dedit sermonem inuidis, me laudes Hibernici sermonis minuisse. Sed in falsa hac criminatione suam produnt malevolentiam, non redarguant meam. Nec enim ego tum oratione mea suscepi, linguam, cuius effem ignarus & insolens, minus consideratè vituperando, adfligere: inò contrà grauissimorum hominum auctoritas fidem mihi iamdudum fecit, eam, verborum granditate, dictionum concinnitate atq. dicacitate quadam acutula redundare, denique cum Hebraica lingua, communi conglutinationis vinculo contineri. Sed hoc, id temporis, docere argumentis institui, nostræ reipub. minimè conducere, Hibernicum sermonem nimis tritum & peruagatum habere, quem maiores nostri, tamquam scopulos, declinarunt. Nec in re minimè obscura, rationes proferre maximè apertas opus erit. Hoc

Hibernicum  
idioma ab  
Anglica prouincia ferè  
exsulat.

Idque reale  
factū videri.

vnum libenter scitarer, & aueo audire, quid isti boni vi-

*Proceres Hi-  
berni & vul-  
gus ab An-  
glico sermo-  
ne aueci.*

ri ad hoc reperiant: quam ob caussam Anglica locutio,

in Hibernicis territoriis, despiciunt ducatur? Quos Hi-  
bernicos dynastas proferre poteris, Anglicæ collocutio-

nis societate nobiscum coniunctos? imò nolunt men-  
tum, Anglicè loquendo, vt ipsi iocantur, intorquere.

Atqui, hoc loco, festiuum illud Oreli responsum (est  
autem is, inter Hibernicos, clarus, & nobilis) præterire  
nolo. Hic, cùm haberet infantem filium quattuor an-

nos natum, qui balbus seu potius mutus erat, cumq[ue] alumn[us] altrix parentem huius hæsitantia admoneret,  
dixisse fertur: A nobis igitur ad Anglicam prouinciam

amandetur, & ibi discat Anglicè loqui. Existimauit  
nimirūm homo ridiculus, nihil aliud esse Anglicè dice-  
re, nisi vel prorsus obmutescere, vel mutila & hiantia  
verba rusticè atque inconditè balbutire. Sed vt incep-

*Anglo-Hi-  
ni connubia  
non miscent  
cum germanis  
Hibernis.*

ptuum opus persequamur, hi, quos iam in manibus ha-  
bemus, Anglo-Hiberni, adeò sunt ab antiquis istis Hi-  
bernicis dissociati, vt colonorum omnium vltimus, qui

in Anglica prouincia habitat, filiam suam vel nobilissi-  
mo Hibernicorum principi in matrimonium non da-  
ret. Hæc autem domestica connubia inter se, ea diutur-

nitate, coniunxerunt, vt vnu alterum iam nunc sanguini-  
nis communione, vel affinitate plerumque tangat. At-  
que hoc idem in omnibus illis vrbibus & opidis (de

quibus antè scripsi) obseruatur. Ciues & municipales,  
more institutoque Anglorum, viuunt: auctoritate nu-

tuque Britanicarum legum tempub. administrat; An-  
glicè etiam ac Hibernicè loquuntur, propter cottidiana  
commercia, quæ cum vicinis Hibernis habent: suos tan-

tum ciues mutua affinitate deuinciunt, & Hibernicos  
procos,

procos, vehementissima animi contentione, repudiant. At de Anglicæ prouinciae habitatoribus satis explicatū arbitror, reliquum est, vt de Hibernicorum moribus, atque confuetudine nonnihil exponam. Vehemens quædam, & periuagata opinio per animos multorum peruidere solet, Hibernicos istos, ad quos iam orationem convertimus, omnem humanitatem abiicere, fusos per defissimas filias ac dispersos vagari, deniq. ferina quadam immanitate effrenatos vitam horridam in cultamque vivere. Sed qui illos his conuiciis infamant, à mendacio contra verum perspicue stant. Quāmquam enim ab Anglicæ prouinciae urbanitate, & lauitia vtcumque abhorrent, non tamen omni ab humanitate, sicut fertur exuti, vitam tradicunt. Sed vt homines, qui veri cognoscendi cupiditate ardent, inveterato hoc errore letiem, decreui quidem, fretus lectoris facilitate, præcipua quædam capita, tam moderato temperatoque calamo, quo ad eius fieri potest, explicare, vt neque calumniatoris acerbi, neq. adulatoris blādi partes suscepisse, cuiuis æquo rerum æstimatori vlo modo videar. Nam mei stomachi non est, contumeliarum aculeis in aliquem declamare: neque item dignitatis meæ, quantulacunq. tandem ea sit, agnosco esse, assentatoriis verborum lenociniis in hominum aures seruiliter influere. Hic igitur considerandum est, inter hos Hibernicos, esse primarios tyrannos, quorum imperio plures tenentur. Horum nomina à quastra ferè vocali exordium sumunt, vt, verbi caussa, O Nelus, O Carolius, O Rorcius, O Morus, O Connorus. Item isti tyranni inferioris ordinis præfectos domitos & subiectos habent, qui cum magno euocatorum numero parati sunt, quoties corum

Hibernicæ  
prouinciae  
mores & ri-  
tus.

Qui nō tam  
a. restes & fe-  
ri, quam pu-  
tantur.

Reguli Hi-  
bernorum,  
corumque  
nomenclatu-  
ra.

Imperium  
corum.

eorum princeps signum sustollit, ad bellum exire, eiique, quibus possunt, viribus & lacertis opitulari. Quod si officium, vel indiligentia, vel perfidia præteritum sit (nam ad tale militare obsequium in illius fundis, seu ditione viuunt, quandoquidem nullum aliud stipendiariū vestigal illis imponitur) solet princeps, illos ad arma compellere; vel si eos perpugnaces aut refractarios inneniat, manum sibi & copias comparat, signa aduersantibus intendit, eos à propriis sedibus exterminat, bonis omnibus euertit. Talem itaque sibi principatum fingunt, neque Anglico sub iure, & imperio esse volunt, nisi quamdiu Angli milites eorum terra-  
Aegrè & cù  
faude parēt  
Anglis.  
O Nelus  
perpetuus  
Anglorum  
hostis.  
Aedificia  
Hibernica.  
H. Iug  
munitio  
vpt. 1107  
z. 1107  
n. 1107  
1107  
F. 1107

ria depopulantur. Solent enim, in huiusmodi asperis temporibus, aut metu permoti, in lacus lucosue se abdere; aut se totos dissimulanter (nam præclarè norunt, tempori inferire) ad victorum nutum & voluntatem conuertere. ut primū rursus Angli arma deponunt, isti metu releuati, vetus imperium arripiunt. Hi igitur principes (semper excipio O Nelus, qui in Ultonia dominatur. nam is, quoniam est grauis aduersarius Britannici imperij, in fæniculariis campis statuia plerumque habet) castella possident, munitione ac mole lapidum fortiter exstructa, cum quibus aulæ satis magnæ & amplæ, ex argilla & luto factæ factæque, vicina adhæsione copulantur. Non sunt sartæ tectæ aut sarcinæ laminis è lapidicina erutis, aut cæmentis, aut regulis, sed agrariis culmis vtoplurimùm conteguntur. In istis aulis epulari solent: raro tamén somnium, nisi in castellis capiunt: quoniam aularum integumentis hostes possunt ardentes faces, aëris flabello ventilatas, facilius admouere, quandoquidem ista materies ignem perceleti-

perceleriter concipit. In primis autem castellano præsidio se tinentur, ne illis quiescentibus nocturna vis inferatur. Quare ut tale quiddam incommodi de nocte non accidat, habent in castelli vertice, tamquam in specula, excubias, quæ sapissimum vociferant, & in frequentibus clamoribus maiorem partem noctis vigilant. Atque has vociferationes idcirco iterant, ut nocturnis futribus & viatoribus significant, patrem familiæ non ita arctè & grauiter dormitare, quin promptus & paratus sit (nam expergefaciunt eum vigiles, quoties inimicorum aduentum suspicantur) hostes à suis latibus viriliter reiicere, atque, si peropus sit, etiam in campo cominus ferro decertare. Habent item areas magnis aggeribus & fossis circumdatas, dumetis ac virgultis circumseptas. In has, quoties angustiis urgentur, armata detrudunt, ut melius à grassatorum incursionibus & à tagacium furtis, obuallata inclusione, vindicentur. Non igitur, ut multi auersi à vero opinantur, isti, nescio per quos siluestres anfractus, & paludes vagantur, sed prædia & domicilia certa habent, quæ maxima cottidie hospitum frequentia celebrantur. Sunt sanè homines hospitalissimi, neque illis vlla in re magis gratificari potes, quam vel sponte ac voluntate eorum domos frequentre, vel illis inuitatum condicere. Prandere solent, hie me, antelucanis horis; æstate, circa horam septimam. Post, si vlla militiae vacatio illis, ab hostibus detur, cum satellitibus in campis, otandi causa, spatiantur, aut ad montana conuenticula iter arripiunt. Nam statu die frequens hominum concursus fit ex tota vicinitate ad certum locum, qui, cum editus & præcelsus sit, unus eminet inter ceteros. Ibi unusquisque de iniurijs sibi

Excubias in castellis, cum clamore.

Area septem fossis aut du mis.

Hospitalitas Hibernorum

Prandia matutina.

Iudicia eorum.

E illatis,

*Occulta  
furia.*

*Aperta pro-  
cerum furtu-  
& rapina.*

*Quæ dede-  
cunt non ha-  
bent.*

*Inimicitiæ  
in reosim-  
placabiles.*

illatis, queribunda voce, conqueritur. Tales autem iniuriæ, clandestinis furtis, frequentissimè inferuntur. Etsi ipsi dynastæ tam abiecto ac imbecillo animo esse nolunt, nocturna incursione latrocinari: tamen infimæ conditionis furunculi, subcessiuis noctibus, in omni genere furandi versantur, & dominorum ædes furtorum receptrices habent. Quòd si ipsi proceres à quoquam, capitali odio, dissideant, noctem ad prædas non adiungunt, sed exercitum ex sicariis, excusoribus, & seruitio conficiunt, atqui de inimici ac eius prouinciæ bonis, omni totius territorij pecore compulso, luce palam prædantur; nisi alter, ad arma vocatus, paratus sit, suas rapinarum ministris vires opponere, atque prædonum impetum pugnacissimè propulsare. Nam in huiusmodi excursionibus, agri multorum sanguine saepius natant, & rapta præda de manibus direptorum crebro amittitur. Verùm si congregata pecuda in territoria sua adducere possint, alacres exsultant in victoria, & præclarum illud facinus in album rerum acriter & animosè gestarum ouantes referunt. Etenim malunt Tyranni isti inter prædatores apertos, quām latrones occultos numerari. Alterum in magna fortitudinis laude ponunt, alterum in homunculum tantùm semissem cadere, affirmant. Ceterūm victi, amissis omnibus fortunis, nulla ferè via compensantur; quām vel tempori cedendo, si viribus inferiores sint; vel parem victoribus gratiam referendo, vt primum vlciscendi occasio datur. Interim præsentem infelicitatis quasi tutam, futuræ prosperitatis pulegio, mitigant. Minas non iactant. Latrare nolunt, mordere volunt, perrarò quidem dies illorum odium placat, præsertim si aliquis ex corum curialibus ferro, in pugnis,

pugnis, sit interfectus. Et si enim simulatæ amicitiaæ mittella exulceratas simultatis reliquias, fœdere obstricti, contegente videbuntur, tamen multos post annos (vcliscendi occasione data) facile intelliges, eos, in reconciliata gratia, animum semper retinuisse armatum: quandoquidem sanguinem nullo modo, nisi sanguine, expiat credunt. Atque non solùm in homicidij auctorem im- placabiles existunt; sed etiam in omnes, qui eius cog- natione tenentur, odium, immoderata intemperantia, conuertunt. Illis sanè prudentissimum videtur, quod nonnulli stultissimum rentur, cum viuis, pro mortuis belligerare. Atque ita, in hoc hominum genere, de die, & in diem viuentium, volubilis fortunæ commutatio perspicuè cernitur. Qui enim, hodierno die, omni re pecuaria amplissimè abundat, postera fortassis luce, omnibus bonis expellitur. Et qui hodie ne libellam quidem habet, craftino die, præda capta, cumulatissimè ditatur. Atque ad hunc modum eorum status in lubrica, & variata fortunæ vicissitudine vacillat. Sed vt ad priuata illa damna rursus accedamus, qui incommodo adficiuntur, acceptæ iniuriæ querelam ad coronam deferunt. Et petitor eum sæpius nomine appellat, quem in crimen vocat. Habent indagatores, qui, mercedula adducti, soletissimè furtæ persequuntur, vestigiis pecudum vel puluerulentis vel luteis diligentissimè insistunt, & si fures de tritis ac indagatis viis, ad extraordinarias semitas declinent, facilius multò peruestigari possunt. Sed qui reus est, seu eum falso insimules, seu verè accuses, nulla alia iuris formula, præter sceleris inficiacionem, se defendit. Quæcunq. illi criminis dantur, ad omnia respondet: NEGOC HOC. Quòd si accusator, certif-

Vltio in ag-  
natos & co-  
iunctos.

Ratio cōue-  
niendi & ac-  
fandi.

Ratio defen-  
dendi mira  
& simplex.

simis criminibus fretus , prius oculis , quām coniectura , furta non deprehendat , sed quadam tantum probabilitate ducatur ad suspicandum ; operam & oleum perdit . Quandoquidem talis suspicio , seu dubia opinio , tanquam frigida & iejuna calumnia , omnium sibilis exploditur . Perfacetum erat illud Oliueri Giraldi , fortis & virilis equitis , in tali iam olim concione , responsū . Nam cūm criminator non modò Oliuerum vehementer suspicionē perstrinxisset , verū etiam clara voce asseuerasset , se vidisse eum , isto ipso temporis punctō , & item in eodem loco , vbi furtum erat factum , in suo expeditum equo , qui curtatam habuit caudam (iste autem equus , quoniam ceteris , mirabili perniciitate , tamquam Pegasus , præcurrebat , omni illi frequentiæ notissimus erat) hīc Oliuerus , cachinnari incipiens , Audite , inquit , optimi viri , quām grauiissimo scilicet arguento leuissimus conuictior dūctus , vana in me criminazione vtitur . Me huius furti affinem esse cofirmat , quia equum decurtata cauda possideam . Valdē bene res se habet , bone vir . Non difficilem , ac morosum habebis reum : attende itaque , quām me sis vsurus æquo . Percurras tu omnes compascuos agros , & singula vicatim stabula quæ in tota consistunt Hibernia : & vbi cumque inuenieris equos , persimili pilorum breuitate notatos , compelle viritim talium equorum dominos , aliquam damni tui partem resarcire ; ego , pro rata portione , non grauatè pro meo etiam equo persoluam . Persalso hoc responso auditores mirificè hilarati omnem risum in accusatorem convertebant . At verò (vt eò iam reuocetur , vnde huc declinavit narratio) si quis signis luce meridiana clarioribus

ribus conuincat, reum manifestissimo in furto teneri, aut reddendum, aut multa pensandum est, quod commisit. vtuntur, ad tales lites æstimandas, quibusdam arbitris, quos illi, BREHONIOS, appellant. Iste sunt ex vna familia proseminati, intelligentiam iuris Britannici non habent, ciuilis etiam ac pontificalis imperitissimi. Retinent solummodo domestica quædam psephismata, vsu & diuturnitate corroborata, quorum animaduersione, artem aliquam, ex rebus fictis commentitiisque conflatam, pepererunt: quam nullo modo, diuulgari patiuntur, sed sibimet ipsis, veluti abstrusa atque abdita mysteria, à communi hominum sensu remotissima, eam reseruant. Atque ob vanam hanc reconditæ cognitionis opinionem eorum nomen

Arbitri in  
æstimatione  
furorum.  
Qui ex certa  
familia.

ab imperita plebecula (quæ citius ficta ostentatione, quam vera simplicitate capitur) valde celebratur. Viuunt etiam, & vigent inter illos semidocti quidam legulei, à primis annis, ciuilis & pontificij iuris studio dediti. Latinæ linguæ intelligentiam, ex grammaticorum fontibus non hauriunt. Totum illud, tamquam luteum negotium, ac pueriles tricas, aspernantur. Quodcumque in solum, vt dicitur, venerit, effutire solent. verba gramicorum arte non expendunt; syllabarum pondera non examinant; omnem periodum spiritus volubilitate, non artis iudicio determinant. Neque sanè mirum. Istud enim ædificium male materiatum, & ruinosum esse oportet; prius, cui, quam iacta sunt fundamenta, fastigium imponere insipient conaris. Sed haec hactenus; ad montanam concionem, vnde huc defluit oratio, redeamus. Vbi igitur, post longam litigationem, solem præcipitantem vident, domum redeunt:

Ilique in ma-  
gno pretio  
vulgò.

Iurisperiti  
intereos, sed  
imperiti.

Solutio iuri-  
dici conuen-  
tus.

Cibi eorum  
& dapes.

Potus ex  
vino ignito.

Accubitus &  
ordo in mensa

& vt quisque est fortuna, ac auctoritate florens, ita ho-  
spitum numerum ad cenam inuitat. Cenit magni-  
ficè & opiparè. Nam licet delicatis artolaganis mi-  
nimè abundant, nec etiam illa urbana in epulis lautitia  
adhibetur; mensas tamen habent, boue, porco, & aliis  
cibariis, prout temporum obseruatio exigit, cumulati-  
simè instructas. Porcos, præcipue opimos nimis opere  
appetunt: faciunt pluvis omnium obsoniorum nihil.  
Interrogatus, à conuictore, quidam de O Neli satelliti-  
bus, an caro vitulina porco esset delicatior? id, inquit,  
perinde est, ac si quis percunctaretur, vtrum tu O Nelo  
sis honoratior? permolestè nimis tulit, opinatorem  
de re minimè controuersa pueriliter dubitare. Non  
nulli dictitant, illos crudis carnibus vesci; quod contra  
est, ac dicunt: tametsi non admodum coctis, nec plus  
satis assis delectantur, tamen cruditate minus sæpe  
nauseant. Utuntur, pro panchresto medicamine, igni-  
to quodam vino, nullo alio liquore permixto, quod  
communiter Aqua vitæ dicitur, cuius ardore cibus fa-  
cilior ad concoquendum redditur. Hoc potionis ge-  
nus intimo artificio instillant: adeò vt, flammula admota,  
totum, quasi bellicus puluis, raptim ignescat. Ingen-  
tem vini vim emunt in vicinis opidis, Hispani præser-  
tim: quod regis Hispaniarum filium, per risum ac io-  
cum, solent nominare. utroque temeto, epotis plenis  
œnophoris, se obruunt. In epulis accumbunt, lectulis  
positis. primus in mensa locus tribuitur matrifamilias,  
talari tunica, & sæpe crocota, bene manicata, amictæ:  
mirum inter vtrumque coniugem, inspectante populo,  
silentium: sola eorum familiaritas cubicularis. Inter  
cenandum adeſt citharista, oculis sæpe captus, musicis  
minime

minimè eruditus, qui chordarum pulsū (sunt autem ex ferreis aut æneis filis, non ex neruis vt alibi fit, contextæ) animos accumbentium relaxat. Non plectro aliquo, sed aduncis vnguis sonum elicit. Atque licet in musicis neque numeros expleat, neque modum, aut sonorum accentum obseruet (siquidem teretes scientis aures perinde ac sarræ stridor, facile offendit : ita omni ordini obstrepit) tamen vulgus hominum rudi eius harmonia vnicè delectatur. Quòd si aures tuas, pulsis filiis, peregrinari intelligat, aut si hominis laudem, vlla ex parte, minuas, furere quidem, & tamquam rabiosulus, bacchari videbitur. Nam vt illius cognitionem ore laudes pleniore, non modo petit, verùm etiam exigit. Viuit, hac nostra ætate, Crusus, ad lyram, post hominum memoriam quàm maximè insignis. Is ab illo in condito strepitu, qui incontentis, secumque discordantibus fidibus fit, plurimum abhorret: contraquē eo modorum ordine, sonorum compositione, musicum obseruat concentum, quo auditorum aures mirabiliter ferit, vt eum citius solum quàm summum citharistam iudicares. Ex quo intelligi potest, non musicis lyram, sed lyrae musicos hactenus defuisse. Utuntur etiam Hibernici, loco tubæ, lignea quadam fistula, callidissimo artificio fabricata: cui saccus ex corio compositus, & cingulis arcissimè complicatus, adhaerescit. Ex pellicula aëre farcta, turgescit: intumescentem rursus premit brachio. Hac impressione duo alia excavata ligna, breuius scilicet ac longius, sonum emitunt grandem & acutum. Adest item quarta fistula, distinctis locis

Crusi citha-  
rœdi laus.Musicum in-  
strumentum  
Hibernorum

locis perforata, quam buccinator ita articulorum volubilitate, quâ claudendo, quâ aperiendo foramina, moderatur: ut ex superioribus fistulis sonitum seu grandem, seu remissum, quemadmodum ei visum erit, facile eliciat. Totius tamen rei prora & puppis est, ne aër per ullam aliam folliculi particulam, præter fistularum introitus, peruidat. Nam si quis (quod hominibus facetis quandoque visu venit, quoties hisce auletis stomachum facere cupiunt) vel acu punetum in culeo rimaretur, actum esset de isto instrumento, quandoquidem follis subito flacceret. Hoc genus fistri, apud Hibernicos, bellicæ virtutis cotem esse constat. Nam ut alij milites tubarum sono, ita isti huius clangore, ad pugnandum ardenter incenduntur. At verò quoniam hoc declinavit oratio, non multum extrà rem erit, eorum in præliis ordinem, & mores breuiter attingere. Primus ordo est equestris. Sed Hibernici equites ab aliarum gentium consuetudine multùm dissident. Nam hastas bene ponderosas, circà medium manibus prehendunt, non ad latera sua, infra brachium, apponendo, sed supra capita lacertis viribusque vibrando. Habent etiam excellentes equos, & dociles, quibus in hostium manum multitudinemque se committunt, aut corporum declinatione, eorum impetum, si certamen non sit æquum, vitant. Totum istud absque magno equitis labore, fit, etiam si laxissimas habenas habeat. Nihil enim Hibernicis equis est tractabilius. Nunquam petasati in equis hærent: verùm ita altè, in unaquaquis lutulenta via, suras attollunt, & ita placide, sine ullo succussu, equitant, ut caligas cæno atque sordibus nullo modo prorsus obliniant. Ad hæc, ferreis scalis (quæ à nonnullis, stolidis, dicuntur)

Quod ad  
bella visu.

Militia corū  
& ordo.

Equites ha-  
stati.

dicuntur) in equos minimè ascendunt: neq. huiusmodi  
nugatoria (sic istorum opinio fert) adminicula phaleris  
adhærescere permittunt. Sed eas iubarum setas , quæ  
frontibus imminent, aut equorum auriculas sinistra ap-  
prehendunt; atque dum equi, obſtipis capitibus quietè  
inclinant (nam ad talem facilitatem, vt est eorum doc-  
litas, à domitoribus finguntur) equites, etiam loricis aut  
ſagis amicti, mira corporis agilitate, ſe efferunt, diu arca-  
tiſque cruribus, ephippia clitellis non diſſimilia, ſubito  
occupant. Talis autem ascensio ita in eorum confue-  
tudine versatur, vt non sit tam laudabile illud munus  
præſtare, quām turpe non perficere. Canteriis, licet ſint  
placidissimi aſturcones, raro aduehuntur. Equas, vt  
pariant, tantū in paſcunt. Nihil ad equitis æſtimatio-  
ne turpius, nihil ad inspectantium cachinnos aptius,  
quām in equa ſedere. Proximus eſt equitibus ordo pe-  
deſtris, qui conſtat ex quodam genere ſagitorum mili-  
tum, quos iſti Galeglasios appellant. Homines ſunt  
magnæ ſtaturæ, præter communem morem corporati,  
fortes buſtuarij, ſanguinarij toti, ac minimè propitijs mi-  
lites. Humanum apud illos nihil tam eſt, quām odium  
humanitatis. Habent tela pedalia, ſecuribus ſimilia &  
gemina, cultris tonsoriis pñē acutiora, longiusculis ha-  
ſtilibus adfixa, quibus plagam grauem faciunt, vbi fe-  
riunt. Prius verò quām aliquis in eorum collegiū coop-  
tatur, magna religione iurat, quoties in aciem dimica-  
tionemq. venit, nunquam tergiuersari: tametsi iſte mos  
magis magisq. antiquari incipiat. In omni acri ac acer-  
bo prælio, ſi ad manus veniatur, aut citò illi pereunt, aut  
citò perimunt. Sunt, ſine controuersia, homines va-  
lentissimi, atq. Hibernici bellī fundamentum & robur.

Pedites.

Pedites, qui  
Kurni dicti.

Eorum ar-  
ma, & pug-  
na ratio.

Enses suos  
amant.

In ea re ani-  
motum di-  
ctum.

Bombardis  
etiam ma-  
nuaii's vi-  
tacipiunt.

Adagium  
Hibernicum

Tertius ordo comprehendit alios etiam pedites, ac leuis armaturae machærophoros: ab Hibernicis Kurni dicuntur. Isti quidem hastas amentatas toris viribusque adeò viriliter torquent, ut eas, instar circuli, in orbiculatum gyrum coimpelli existimares. Cetris aut manicis ferreis armati, pugnant: non admodum ponderoso vestitu teati incedunt. Hastilium spiculis, equites vel equos eminus faucent; cominus, districtis gladiis, certamen inceunt. Insignes sunt lapidatores: armis palæstricè vti, omnino nesciunt: nec in ludicra gladiatorum arte sunt exercitati. Rarò hostes, pungendo, effodiunt; ictibus crebrius vulnerant. Enses acuti & minimè scabri, mirabiliter illis in amoribus sunt: & ne in æruginem incidant, néue eorum acies hebescat, omni diligentia curant. Ferunt, quendam, de horum grege, è prælio reuertentem, plus quattuor periculosis vulneribus acceptis, gladium inspexisse; cumq[ue] ex nulla parte fractum, aut aduncum vidisset, maximas numini gratias egisse, quod illa vulnera corpori, non ensi fuerint inflicta. Ferrearum usus fistularum iam tādem apud eos increbruit. Etsi enim, primis temporibus, harum sonitum ferre tremeasti non poterant: multò minus eas inflammare audebant; tamen, nostra ætate, ipsi tormentarium puluerem conficiunt, & plumbeos globulos per istas fistulas, admodum dispositè ac expeditè collimant. Horum posteriores cogitationes, deteriores ac immaniores solent esse. Nam si hominis salus in contentione ponatur, quod diutius consilium capiunt, eò propius captiui caput petunt. Proverbiū est Hibernico sermone celebratum, quoties de rebus deliberatis diffidunt: POSTERIOR KARNORVM CONSULTATIO. Si quem isti occidant,

occident, semper ad stratum cadauer noua vulnera addunt. Nam vnuſquisque imperfecti sanguine, ne forte reuiuiscat, gladium cruentat. Neque vlla cæde occisum putant, quoadusque gladiatoriis iectibus caput abscissum vident. Tum confeſtam rem colli ſectores arbitrantur, imo pœnè credunt. Quid hoc genere hominum cautius? Ultimus omnium ordo curſorum numero concluditur, quos Hiberni, Daltinos, nos Latinè ſcurras velites, ſeu feruos à pedibus nominare poſſumus. Iſti inermes incedunt; ministros ſe præbent equitibus, ſparos etiam amentatos vibrant, phaleras ſordibus maculatas mundant. Equos, in præſepibus, dentata ſtrigili diligentiffimè refriſcant, & pexis fetis, nitidos reddunt. Ad hanc poliendi curam, omnibus corporis neruis incumbunt; quantum detrahunt de hac industria, tantum amittunt ex gloria. Etenim hac elegantia, atque equina munditia ſpecialis diligentia nomen inueniunt. Verecundiam loquendi iſti, præ omnibus negligunt, ſcurrili dicacitate, & inquinatissimis sermonibus vþplurimū illigati. Totus autem tam equitatus, quām peditatus, quoties ad manus, & pugnam venit, alta voce, PHARRO, PHARRO, inclamat. vtrum à rege Pharaone, Gандeli ſocero, an ab alia cauſa clamor iſte natus ſit, parum ad rem attinet explicare. Qui ex acie inuulnerati difendunt, ſaucios commilitones domum octophoro portat.

Tum præsto ſunt empirici, qui herbulis vulneri applicatis, ægritudinem abſtergere conantur. Iſti, vt etiam pragmatici, in aliquo eſſe numero volunt: cùm tamen plane indocti, & omnino omnis chirurgiæ expertes ſint. Habent ſuas ſimiliter familias; hereditate, non eruditio ne medici euadunt. Cùm illud Hippocratis, memoriter

Sæuitia erga  
caſos.

Quartus or-  
do militum  
qui Daltini  
dicti.

Eorum mu-  
nera.

Clamor Hi-  
bernorum  
præliariis.

Cura in ſau-  
ciis.

Audaces fed-  
impeſiti chi-  
rurgi.

Quibus ars  
ea Heredita-  
ria.

possunt recitare: VITA BREVIS, ARS LONGA, se fatis luculentè instructos arbitrantur. Inanes esse confirmant hominum conatus, in hoc exiguo vitæ curriculo, se medicorum libris inuoluere; quorum lectio est adeò infinita, ut prius moriendo naturæ, quam curatione ægrotis medicinæ studiosus satisfaciat.

*Libri eorum.*

Lectitant tamen, qui inter eos lectitare sciunt, peruetustas, & sumosas membranulas, multis lituris interpunctas, Hibernicè scriptas, quas in ore & in amore mirificè habent. Quando oua, in schaphiis, agitare virgulâ norunt, cum digitos comprimendo, succum ex herbis, minutatim concisis ac tritis, exprimunt; cum vulnus specillo attentare, & fasciolis obligare discunt; tum se Asclepiadas, & Hippocrates germanissimos opinantur. Et tamen, inquiet aliquis, solent vulneribus mederi. Sanè quidem: etiam si illa, ut vt est, curatio naturali efficientiæ potius, quam his empiricis, qui omni arte carent, sit tribuenda. Sed quoniam hic noster libellus in academicorum manus peruenturus est, in quorum auribus, propter crebras exercitationes, sagacissima laudatorum mysteriorum indagatrix, Philosophia, scientiæ naturalis domicilium collocauit: de his studiis, quæ academiis egregiè nota, mihi sunt non inaudita, fretus eorum humanitate, opidò paucis disputabo. Natura igitur, cuius nutu, ac moderatione cuncta existunt, inseuit, in omni re creata, quosdam igniculos, quorum calore singula conseruantur.

*Id fieri, vi in-  
fici nobis ca-  
loris.*

Hæc ignea vis à plerisque dialecticis calor naturalis appellatur. Etenim est in scholis res perrecondita ac multum & sepe quæsita, an ille calor vitalis ab homine, vel alia quavis natura, ut ceteræ aduentitiæ res, cogitatione sciungi ac diuelli possit. Quæ sanè dubitatio nihil ad

rem

*anilloq*

rem facit. Neque enim homo proximum est huius caloris fundamentum, sed naturalis ignis in homine, ac in qualibet re, per omne in mundum, consistens: siquidem est proprium vnius ignis munus calefacere. Absque hoc igne sol calorem impetrare nulli rei posset. Non enim, ut plebei philosophi affirmant, calor iste ex hoc tantum manat, quod solis radij reflectantur, sed naturalis flamma (quae in sole maxime viget) hoc munus praestat; quae si a sole abesset, nunquam radij percussio ardenter istam qualitatem procrearet. Etenim qui sol elargiri posset, quod non habet? Quod autem in scholis peruagatum ac decantatum habeatur, cotem acuere, cum sit ipsa hebes: in eo etiam homines non satis scienter philosophantur. Nec enim acumen aliquod ex parte in ferrum transit, sed dum chalybem refricamus, paulatim extenuatur acies, & quod tenuior est, eodem acutior efficitur: quod non coti, tanquam proprium est tribendum; sed etiam arenulae, vmbilicis, pulueri, & aliis rebus, quae nouaculæ aciem exulcerando corrodunt. Ego iam olim, in commentariolis meis, quibus Porphyrii institutiones, ad Chrysaoriū scriptas, explanaui, nimis frigidè de hoc calore disputaui, cum tamen locus ad tractandum aptissimus mihi fuisse oblatus. Sed danda est haec venia ætatulæ meæ. Vnde uiginti solum annos fui natus, cum istas lucubrationes scripsi, atque id temporis (dicam enim, quod verum est) de hoc naturali & vitali foco minimè somniaui. Quod non multum mirabile videri debet. Etenim nihil est, in locupletissimo præpotentis philosophiae narthecio, tanta aestimatione dignandum, nihil in venis ac visceribus naturæ tam abstrusum atque reconditum, quam exacta huius

In Sole ig-  
neum quid-  
dam etiā esse

Admiratio &  
vera elatio  
huius ignis  
per omnia  
didici.

ignis cognitio. Pretiosissimam sanè hanc margaritam, naturæ pala inclusam, velut incorruptam virginem, ab importuna insipientiū procūm solicitatione, eius custos Philosophia solet disiungere; ex eo euēnit, quām minimè multos naturæ venatores, propter angustiatos & interclusos aditus, ad eam, scientiæ peruestigatione, adspīrassē. Quin etiam ipse Paracelsus, medicorum, ut eius fautores gloriantur, deus, ne per transennam quidem, hanc nostram deam adspexit: dumque D. Thomæ sententiam lucifugus Andabata reprehendit, suam inscien-tiam manifesto prodit. Nam & inibi, ut saepius alibi, veritatem mendaciis Paracelsus contaminat, & qui sit de hoc igne, prorsus in media Philosophia retruso atque abdito, D. Thomæ sensus, in eius mentem & sensum non intravit. præposterè verò aduersarium refellis, cuius mentem perperam intelligis. Sed ad propositum. Hæc igitur naturæ scintillula, per totum corpus fusa, membra salutari calore fouet; languentem naturam excitat; iacentem extollit; fessam recreat; mansa concoquit; cruda digerit; cibos in sanguinem conuertit; denique esculentas reliquias depellit, postremò naturam, omni, qua pos-sit, tuitione tegit. Quod si homo (hoc idem de ceteris animantibus intelligi oportet) in morbum incidat, aut ei vulnus impositum sit; solet hic naturæ focus se colligere, inistum dolorem foimentis mitigare, postremò ægritudine medicinam adhibere. Si artis efficaci-tas accedat breuiori temporis interuallo, ægrotus ex vulnera, aut morbo recreatur. Sin maior sit naturæ la-bor, quām artis vis; tunc diuturnior est euratio, dolor acerbior, periculum maius, ex vulnera item sanies emanat; quandoquidem luctator ignis naturæ, quasi cum

Ad quem  
cœcutuit pror-  
sus Paracel-  
sus.

In Aurora  
philosoph.  
cap. 19.

Doctorum  
acutissimus  
Thomas de-  
fensus.

In curatione  
corporum,  
præsentan-  
cis eius na-  
tiui ignis.

Qui iuuatur  
& accenditur  
tamen à pe-  
ritâ medici-  
nâ.

igne

igne contra naturam, nec ita citò incendium per se restringuit. Horum tamen nihil contingit (nisi plaga sit insanabilis) vbi per artis suppeditationem naturæ vires integrantur. Nam tum vacuitas est ab angoribus, vulnus purum ac mundum manet. Etenim nullum pædorem medicina, germanæ artis particeps, in carne permittit: quoniam vitali igni opem fert, cuius auxilio recalescit, quo cum mirifica operandi societate constringitur. Ex quo profecto intelligitur, ista empiricorum medicamenta penitus esse otiosa. Tantùm enim abest, ut conquassatam naturam commoueant, currentem quidem vix incitant. Cùm itaque naturæ ignis suo per se fungatur officio, plures illiterati idiotæ sibi arrogant, quod nullo iure vendicare debent. Etenim nulla est carunculæ particula, quæ, modò putrida non sit, hanc curandi vim à natura non arripuerit; quod à talium misteriorum speculatoribus, *βαλσαμον*, peracutè nominatur. Sed hæc missa faciamus, quæ indoctis obscura, minutis medicis incondita, ipsis Physicis spinosiora & ad historiæ propositum non admodum necessaria videntur. Iam verò si quis, inter Hibernicos, præsertim summo loco natus, à vita discedat, incredibile est, quanto, & quam fæmineo fletu, omnia loca circumsonare soleant. Atque ut lugubrem lamentationem, rationis temperamento modificatam, magnopere non reprehendam; tamen peruersum anicularum morem non possum non liberius accusare. Nám vt primùm vñus ex his, qui in honoribus populi versatur, halitū extremum efflat, videre licet, complures mulieres, per vicos & campos cursare, lupino vñulantique clamore, omnium aures obtundere. At verò vbi templum, in quo mortuo paren-

Nihilum  
autem ab  
impetu.

Ratio fune-  
rum apud  
Hibernos.

Praeficarim  
nænia & la-  
menta.

*Et verè mi-  
mici gestus.*

parentatur, ingrediuntur, quanto ciulatu sacram complent ædem, non facile dixerim. Buccis inflatis exclamant, perquam flebiliter voces eliciunt, redimicula ponunt, capita nudant, crines lacerant, frontem feriunt, latera intendunt, palmas dilatant, manus in cælum extollunt, mortuorum cistas versant, operimenta dilocant, cadaver amplexantur, oscula insigunt, mortuum humari vix permittunt. Hæc eò scribo, vt Christianæ fidei præcones commonefaciam, deformem hanc consuetudinem, orationis flumine, & minarum fulmine, ex faeminarum mentibus stirpitus extrahere, ipsos etiam mortuorum manes in effæminatum hunc ploratum testes laudare. Neque enim squalore vultus, aut genarum laceratione, aut corporum percussionibus, aut nænarum plangore exsequiæ, & funera celebrantur. Talia viuis abesse valent, mortuis nihil prodesse solent. Ex hoc lacrimarum fonte profluxit (vt arbitror) tritum illud & celebratum, in Anglico sermonē, proterbiū,

*Lacrimas eis  
nec veras esse*

*Iocundo ex-  
empli do-  
ctum.*

*De moribus  
Hiberniorū,  
paullò com-  
munius.*

*Amor in nu-  
trices & col-  
laestancos.*

HIBERNICE LACRIMARI. Dici mihi memini, nonnullas mulierculas, tantum de more, se his lamentis lacrimisque dedere. Cuius rei fidem fecit, non multis abhinc lustris, vetula anicula, quæ cum, diu multumque vociferata, irraueisset, de socia quæsiuit, quod tandem mortuo nomen fuit? Quam grauiter notum lugeret, quæ incognitum tam vehementer deplorabat? Hactenus de Hibernicorum institutis distributius, ni fallor, est explicatum; pauca etiam generatim adiungam. Sunt, ut suprà commémoraui, per hospitales, prolixæ, beneficæque natura; in laboribus, ex omni hominum genere, patientissimi; omnium bellicosissimi; in rerum angustiis raro fracti. Nutrices, ad extremum vitæ spatiū, in lo-

in loco parentum habent. Eorum natos, quos vocant Collactaneos, magis ex animo, quam germanos fratres amant. Singula illis credunt; in eorum spe requiescunt, omnium consiliorum sunt maximè concij. Collactanei etiam eos fidelissimè, & amantissimè obseruant. Nihil perfidiosum & insidiosum, nihil fallax in illis inuenies: quin etiam parati sunt, offerre capita sua, pro lacteorum fratum, ut appellant, salute, periculis omnibus. Cæstibus hominem contundas, eculeo excrucies, ignitis laminis amburas, omnia exquisita suppicia, vehemens feroxque tortor, in illum expromas: tamen nunquam cum de insita mentis fidelitate deduces; nunquam ut officium prodat, induces. Hibernici etiam, magna ex parte, sunt religionis summè colentes. Quod certè laudandum est in iis, qui vitam, ad veram religionis normam dirigunt: alioquin in spoliis, prædis, homicidio religio non valet. Sacerdotes apud illos magnam obtinent dignitatem: quorum salutari admonitione (ut est hominum genus tenerum & flexibile) auditorum conscientiae facillimè mordentur. Si omnia bello ardeant, religiosi, tamquam feciales caduceo ornati, ytrobique rusticari incolunes possunt. Nefas esse arbitrantur, vel teruncium de sacerdotis bonis, in villa direptione, attingere, multò magis exsecrantur, eorum corpora vulnerare. Idem honor rythmiciis tribuitur, quorum ingenii subiectam vitam, famamque habent. Nam horum laudationibus immortaliter gaudent; contraque eorum versibus violari, carnificinam existimant. Nam ut reliqua omnia æquissimo animo ferant, quî illud infamiaæ frænum mordent, non inueniunt. Nec sacerdotes & rythmici solùm, sed omnes etiam, litteris Propensi uidem in littératos.

G tinti,

tincti, sunt in laude & gratia apud illos. Item ipsa optimarum artium cognitio est in honore maximo. Atque ut veteres se, nullo modo, sapientes volebant nominari, sed philosophos, qui sapientiam expeterent, eiusque decretis parerent; ad eundem modum, Hibernici, etiamsi hominem omnium litteratissimum, ad cælum laudibus efferre studeant, eum nunquam virum doctum, sed bonum doctrinæ filium appellant. Præterea si hostes, in armorum ardore, ad templæ, animis tardati, confugiant, in istis asylis, omni periculo liberati,

*Quos do-  
ctrinae filios  
appellant.*

*Templa om-  
nia, pro inte-  
meratis asy-  
lis.*

*Kildariæ Co-  
mitis laus.*

*Circa annū  
salut. 1500.*

magis securè conseruantur, quam si castellana maceria essent muniti, atque firmati. Rustici, & alij plebei homines, in huiusmodi depopulationibus, in sacra loca, quæ omnibus bellis inviolata sunt, subuolare, cum tota familia, consuescunt, nisi direptores, omni celeritate, eorum migrationem anteuertant. Simplex & salsum quoddam, in tali euentu, comitis Kildariæ responsum litteris celebrandum existimo. Vir fuit honoratus, & nobilis, summa potestate prædictus. Nam Hiberniam, sub Anglico imperio, triginta & tres annos occupauit. verum non deerant inuidi, qui eum à dominatione reipub. semotum vellent. Deferebant multa ad Henricum septimum, Angliæ regem: eius scilicet vicarium, Kildariæ comitem, ex quo tempore ad rem pub. accessit, non tam prouinciam administrare, quam regno, per se, vti. Omnitum fortunas deuorare; ducem se, principemque ad quoduis flagitiū præbere; quin etiam, certo quodam tempore, initum fuisse consilium, ab ipso comite, inflammardi, sacrilegum in modum, Templi Cassiliensis. Giraldus, reus citatus, adfuit. Atque ne forte, in rebus sitis ante omnium oculos, diuerticula flexioneſ-

flexionesque quæreret, accusatores ynumquodque crimen planum facere; in digitis suis singula flagitia constitucere; atque in fani exultione diu acriterque commorari; multi fide digni, quorum primus Archiepiscopus Cassiliensis fuit, testes in reum procedere. Rex ac Consiliarij, quid ad hæc comes haberet, percunctari. Ille, præter omnium exspectationem, crimen fassus est. Hic rex exalbescere, adstantes oculos in reum conuertere, hominis audacissimi dicto obstupecere. Quid multis? Rex, comitem stomachans fastidiosè, interrogare, qui fiebat, vt violarit, & imminuerit ius ac officium? aut quo ore auderet, illud confiteri, quod esset sacrilegium perpetrare? Ad hæc ille, ita me Deus, inquit, amet, nunquam ego faces isti delubro iniicere animum inducere, nisi quidam nuntij liquidò dicerent, & mihi pro certo significarent, Cassiliensem Antistitem, id temporis, in tēplo fuisse. Hic risum continere rex nō potuit, cùm virum simplicē, sacrorum religionisq. minimè hostem, eo arguento crimen diluere animaduertisset, quod eius crimen re vera duplicauit. Ista ergo omnis accusatio in risum conuersa est. In Hiberniam, cum imperio rursus mittitur. Nam cùm aduersarij summum Henrici odium in illum transferre conarentur, dicebant, Giraldum tam furiosum ac effrænatum esse, vt eum tota Hibernia gubernare non possit; Itane verò, inquit Rex, tum ille totam Hiberniam gubernabit. Sed non vagabitur oratio mea longius: ad Hibernicos redeo, quorum mores satis, vt arbitror, enucleatè illustravi. Quod autem quorundam sermo increbruit, eos passim in suis, inter feras, ætatem degere, fænumque, instar pecudum, esse; id tam abest à vero, vt nihil magis vero esse

Eius Comi-  
tis li erra-  
ma simplici-  
tatis dictum.

Hiberniā  
barbara feri-  
tate excusat.

possit contrarium. Sed ductum & conflatum hinc mendacium istud existimo, propter nonnullos exleges, omnibus flagitorum maculis notatissimos. Etenim isti nulla fidei, nulla religionis iura retinent, nec Britanico imperio subiectiuntur, nec Hibernicis Dynastis morigerantur, sed desertissimas solitudines persequuntur, in rapinis & ex rapinis viuunt, villulas & pagos noctuabudi incidunt, omnem vitæ societatem vi & armis disturbant.

Nisi quod  
quidam inter  
eos soluagi  
& exleges  
praedones.

Quorum vi-  
ta & victus,  
aspera.

Eaque excu-  
fatione, imo  
laude digna.

Quod autem in siluis, prohibiti cibis & tectis, delitescant, quod in unitate corpora adfligant, quod olusculis & aquatilibus herbis vescantur, haec incommoda, seu potius calamitates, non voluntate inducti, sed necessitate coacti, perferunt: tametsi raro, absque obsoniis & vi-  
no, etiam in suis cauernis, inueniantur. Talis vitæ & vi-  
etus asperitas, multorum iudicio, illis vituperationi est:  
ego tamen hanc duritatem in aliqua ponendâ laude du-  
co. Nam licet nocturna ista praedandi atque rapiendi  
licentia accusabilis, imo verò execranda sit; tamen in  
istis perditis ac profligatis excursoribus, haec duritia  
summopere est miranda. Quem enim potes mollem  
& eneruatum nouitum, aliquo in numero, putare, qui  
cum hoste non valet configere, nisi dulcicula potionē,  
& quibusdam sportellis sustentetur, imo nisi abdomini  
natus, crapulam cottidie exhalet, nisi vnguentorum o-  
dore nares recreet, nisi sub pellibus interquiescat, nisi variis  
vestibus, & nescio quibus lacernis oneretur? Belli-  
cosus quidem ille miles, & neruosus haberi debet, qui  
sudo & vdo cælo aptus est, qui ad omnes labores impiger  
inuenitur, qui famem pro condimento, nasturtium  
pro cibo, humum pro cubili, arbustum pro tabernaculo  
habet. Hanc autem vitæ acerbitatem isti spoliatores  
vexato-

vexatoresque ita seuerè ac vehementer consequantur, vt  
cùm iam olim par grassatorum, posteaquam totam no-  
ctem peruigilassem, somno se dare in publico parasset(hoc  
autem accidit brumali tempore, quo omnes passim agri  
pruina obriguerant) & vñus ex illis ingentem niuis glo-  
bum capiti suo imposuisset, alter, contubernialis sui  
mollitatem ægrè ferens, dixisse fertur, Næ tu quidem  
(excors, ac effeminate tiro) vapulare debes. Tantanc,  
amabo te, mollitia fluis, vt non absque puluinari, ex no-  
cturna laßitudine, dormire valeas? Hoc in libro, quo-  
rundam fortassis iudicio, lectoris exspectationi satisfa-  
ciendū fuit, quæ nonnihil de purgatorio S.Patricij(nam  
hoc monumentum, in exteris gentibus, multorum ser-  
monibus perulgatum, & percelebratum est) atque de  
nepis, naticibus, aliisq. venenatis animantibus, quibus  
Hibernia caret, libenter audiret. Sed hoc totum in ap-  
tiorem locum, approbante Deo, coniiciam. Plura item  
huic libello, de insula viuentium, & multis Hibernico-  
rum fontium prodigiis adstringere potui, sed quoniam  
ista loca nunquam perlustrauī, neque ab hominibus fi-  
de ac religione excellentibus, quidquam de illis pro ve-  
ro accepi; satius esse duxi, de dubiis portentis prorsus  
conticescere, quam certos, de rebus incertis, sermo-  
nes dissipare.

Insignis du-  
ritia & pati-  
entie exem-  
plum.

Vana que-  
dam prodi-  
gia sparsa de  
Hibernia.

## RICHARDI STANIHVRSTI

DUBLINIENSIS, DE REBUS IN HIBERNIA GESTIS, AD CARISSIMVM  
suum fratrem, clarissimumq. virum, P. Plunketum, Dominum Baronem Dunsaniæ,

## LIBER SECUNDVS.



TRVM prudentius aut optabilius effet, nullam antiquitatis memoriam colligere, an commentarios aliquos rerum nostrarum scribere, per diuturna dubitatione (Plunkete frater) astuavi. Nam prorsus à genere hoc toto narrandi refugere, tali præsertim, quod ad laudem honorémque maiorum nostrorum valere posít, vituperabile mihi profetò videbatur; & in eo explicandi munere multum opera laborisque consumere, vix rebar eius esse, qui in Annalibus nostris, modicè vel potius intra modum, effet versatus. Nam quid operosus esse posít, quam acta, ab hominum cogitatione, longo interuallo antiquitatis, remotissima, & quorum memoriam auctores nullam reliquerunt, in Historiam includere conari? Et enim si quispiam priscorum

Difficultas  
historie hu-  
ius scriben-  
de.

priscorum temporum memoriam cupiat recordari  
ultimam, quis sit ille, qui primus pedem in Hi-  
bernia posuit, quis illius reipub. fundamenta iecit;  
in nullam vetustatem, per totam monumentorum  
euolutionem, incurret; neminem Historia patrem  
leget; nihil, certis auctoribus, comperiet (quantum  
ego ex perantiquis rerum veterum libellariis su-  
spicari unquam potui) à quibus instructior esse  
queat, ut quidquam pro certo, de his dubiis sta-  
tuat. Demus quedam mutilata atque muscosio-  
ra macrocola existare: demus rumores, sine au-  
ctore & capite, præferri; demus anteactas quo-  
rundam Diuorum vitas litterarum monumen-  
tis tradi; tantum tamen hæc absunt ab Historia  
perfectione, ut vix paucorum annorum rimas, in  
continuata narratione, explere videantur. Quod  
si ex Hibernicis poëtis, qui multorum præconia  
versibus mandant, subsidium, ad tanti operis  
confectionem, petas; illi quidem (sicut mihi vide-  
tur) pauca, atque admodum pauca adiumenta  
subministrant. Etenim mos est apud hoc genus  
scriptorum, ex vanitate plurima, ex veritate per-  
pauca, narrando, explicare. Iti insuper qui inter  
illos poëmata faciunt, se mente ac voluntate, in  
certas quasdam familias omni predicatione, litte-  
risq; decorandas, coniiciunt: unde effectum est, ut

Quoniam  
Annales nulli  
apud Hiber-  
nos.

Poëtæ quidē,  
sed adulato-  
res & vani.

nulla

nulla eorum narratio ad historię fidem scripta videatur. Nam qui poterit is sincerè ac religiose res pronuntiare, qui alieno honori assentatorie ve-  
lificatur? Neque hac in eam sententiam dispu-  
to, ut noſtrates, qui antiquitatis notitia delectan-  
tur, à veterum palimpseſtis legendis & peruvolu-  
tandis deterream; quandoquidem vetustatis in-  
dagatores non modo non contemno; verum etiam  
vehementer laudo; sed ad hoc unum omnis mea  
spectat oratio, ut miram eſſe significem, talium  
tabularum paucitatem, quarum ſuttybiſ, res ex-  
actis temporibus geſta amiciri videntur. Nam  
verò ſi quis, ab veterum ſcriptorum penuria,  
ad res recentes & atate noſtra confeſtas, recurre-  
ret, eásque in publicum legendas, proponere cogi-  
taret; ego ſane, tamquam alieni periculi cautor, ſi  
difuadere poſſem, nemini, ut tale munus fuſci-  
peret, persuadere vellem. Etenim quid maiores  
moleſtarum moles continere poſſit, quam unius-  
cuiusque idiotæ iudicium ſubire? Quām in con-  
temtiſima plebecula voculas incurrere? Quām à  
ſtupidis & bardis reprehendi? Si quem dilaudes,  
adulator: ſi vituperes, calumniator iudicaris.  
Ego, inquit unus, in cauponula garriens, & cum  
ſuis combibonibus mentem ac mentum in ſcyphis  
defigens, his pugnis non modo interfui; verū  
etiam

Res etiam  
noti & ſupe-  
rioris aui  
cū periculo  
& iudicia  
ſcribendæ.

Ob futilia  
multorum  
iudicia.

etiam prefui. Male hoc narrat; ineptè illud explicat; tricas nimis curiosè dilatat, astus in simpulo excitat; lemniscatam palmam in bilo reponit; non in nigro, sed in fusco equo is vehebatur; pugna erat cum hoste commissa, non hora diei octaua, ut ille monumentis mandat, sed circiter nonam. Ad bac, ab historico memoria ac posteritati non est proditum, quid frater meus germanus eo in prælio viriliter gesserit; cognatum etiam meum, inquit alius mendax emendator, vel obliuione obruit, vel taciturnitate celat. Facilius enim vulgus imperitorum, quid negligenter prætermiseris, vituperare; quam, quod diligenter scripsieris, approbare solet. Cum igitur opus valde vobementer operosum esse sciam, antefacta, perlongo interuallo temporum à nobis disiuncta, & in obliuionem diuturnitate obducta, historia monumentis, ad omnem posteritatem, commendare; ciuisque nomen, qui aqualem etatis sua memoriam in adspectum lucemq. profert, apud animos maioris partis hominum subinuisum esse: utrumque sanè laborem malui ad alias delegare, quam ipse suscipere. Medium itaque cursum tenens, maiorum nostrorum, qui ex Britannia in Hiberniam demigrarunt, bella, & gloriofas victorias, his libris complexus sum. Atque huius

voluntatis meæ, non est difficile rationem subiicere. Primum domesticis antiquitatis monumentis testatum consignatumque est, nihil in omni memoria et atum e temporum magis memorabile, in Hibernia contigisse, quam eam Britannicis viribus reseratam, armis oppressam, præliis subactam, triumphis e tropis notatam fuisse. Deinde illa historia cognitio, ad nos, qui in Anglica prouincia sedem habemus, atque ex Britannica stirpe generati sumus, in primis pertinet. Etenim quo studio viri, genere ac dignitate præcellentes, magis capi debeant, quam prisca vetustatis memoriam tenere? Aut quæ maior in cognoscendo suavitas et delectatio esse posse, quam maiorum consuetudinem vitamque ob oculos collocare? Ignorare enim, quid priusquam in lucem sis editus, in patria contigerit, id est perpetuo in patria esse peregrinum. Postremò hanc præ ceteris historia partem attingere volui, propterea quod Silvester Geraldus Cambrensis, qui recens a primo Britannorum aduentu in Hiberniam venit, haud inepte harum rerum memoriam posteritati prodidit. Etsi enim is nec nihil doctissime, nec omnia grauissime scriptauit, illius tamen labor meum ut cumque laborem minuit, quandoquidem valde quam pauca, seupotius nulla, que ad rem pertinent, tacitus videtur præterire.

Geraldus  
 Cambrensis  
 Historicus.

praterire. Nam adeò minutatim omnia minima mansa persecutus est, ut, ne in breuitatem offendereret, maluerit in historia videri nimis loquax, quam parum diligens. Quare in novo opere rediuiuos lapides non abieci, imo precipua quaque ex Giraldo, ac aliis adespoticis commentariolis libani, atque ordine quodam, ac momento perquisitus dispensavi, ut historiam, quae in nulla parte hiare debet, continentis narrationis tenore perpetuarem. De reliquo (nobilissime atque illustrissime frater) non est cur à te, more institutoque oratorum, contendam, hæc nostra benignè attentèque lectitare. Benignitatem, scio, usitata tua humanitas præstabit; attentionem, spero, ipsius rei dignitas commouebit. Res igitur hæc est.



v M quinque Hiberniæ prouinciis, quinque vel plures reguli, per idem tempus, præsiderent, inter istos, Dermicius, Murchardi filius, totius Lageniæ principatum tenebat.

Circa annum  
salutis 1168.

Hic cùm ab incunabilis incredibilem quandam insolentiam, cum nutricis lacte, suxisset, pari animi fastidio, reliquas ætatis partes consumserat. Non enim modò non frequenter, verùm perrarò etiam accidit, adolescentes nobili prosapia procreatōs (si non bona institutio adhibeat) inflato ac tumente animo non turgescere, vt eos, quibus fortuna plurimum antecellunt, fastidiosa elatione insolenter contemnant. Quod cùm in

Quinque re-  
guli Hiber-  
niæ.

Dermicij  
improbatis, à  
natura & ab  
ysu.

multis perspici potuit, tum in Dermicio maximè apparuit. Posteaquam enim pater eius Murchardus Dubliniensium proditione interfectus fuit, atque regia La-

*Fius in regno novo suo perbia & in solentia.*

geniae prærogatiua ad Dermicium hereditario iure peruenit: gloria regalis tituli nouitate captus, sublatius ac intolerantius se in regno iactauit, vsquedum nobilitatis conteintor, atque insinuæ plebis oppressor habetur. In eum itaque locum rem deduxit, ut prudentium congressum declinarit, atque adulatorum blandimentis (quo bestiarum genere nihil principum dignitati iniicius excogitari potest) aures suas studiosè dediderit.

*Ideoq. paup. latim à proceribus defec- tiv.*

Cum igitur prouinciae dynastæ animaduerterent, optimum (quos publici consilij duces esse oportebat) auctoritatem frangi, nouorum hominum potentiam, & impudentiam corroborari, se ab eius familiaritate pedetentium disungere, atque non tam sacrosanctam regis auctoritatem amare, quam superbissimum Tyranni dominatum timere. Rex ad hunc modum à satellitibus & consiliarijs prudentibus desertus, ad eam vitæ prauitatem deferebatur, ut non modò suos acerbissimis tributis vexarit, sed finitos etiam principes omni iniuria

*Dermicius amoris im- potens in cō- termini reguli uxori.*

exagitarit. Nam dum Oforicius, Media regulus, terminales prouinciae suæ oras, cum exercitu perlustrabat, vti illos, qui vel aperto bello, vel occulto latrocinio eius terras populabantur, ferro ac armis frangeret: Dermicius hoc interius spatio, Ororicij uxoris amore, extra modum flagrabat. Hæc erat O Machelini filia: famina quidem, quam natura formosam, fortuna reginam, motu levitas meretriculam effinxit. Atque hoc rei exitus indicauit. Nam ubi Dermicius cum illa de amore, per impudicos ganeones, ad amasij libidines fa-

culum

H

ctos, &

tos, & per Ororicij domesticos, largitionibus corruptos, crebrius agebat, tandem horum importunitate imbecilli consilij mulier victa (molles enim ac cereæ sunt talium herarum mentes) in procum sollicitationes, voluntatis inclinatione propendebat, occultumque animi assensum, subobscura verborum circuitione, muliebri yetecundia retardata, significabat. Dermicij lenones, in ganearum illecebris multum & assidue exercitati, reconditos principis sensus, ex familiari nutu, lasciuo ocellorum coniectu, atque sermonis ansis acutè coniiciunt: totam rem ad Dermicium deferunt, qui, nulla interposita mora, facta manipularium manu, fæminam amore saeuo sauciām, secum vna, perinuitam scilicet, rapuit; vti ad matrimonij repagula perfringenda, non tam diuturnis præmiis allici, quām repentinis pœnis compelli Menelai Helena videretur. Nuntius grauis adfertur huiusc mali ad Ororicij castra: quo audito, parum absuit, quin ei zelotypiæ cruciamenta omnes mentis partes ademerint. Fremere cœpit, omnes diras sibi ac suis imprecari, discindere vestem, adstantium aures vultantibus querelis implere. Eius consiliarij, in quem tametsi perpetuò officiosissimi erant, tamen cum hominem ita tabifícis furius agitari perspicerent, in eum consolando, tanto præsertim doloris æstu, qui adhuc consolabilis non erat, frustra laborem ponere nolebant. Nunquam enim zelotypia cum ratione copulatur, inique ad consolationis grauitatem furor adhibetur. Ast ubi regem, sensim resipiscere vident, eum adeunt, atque ingenuè fatentur, se & plurimum dolere, & vehementer gaudere. Dolorem capere ab hac insigni iniuria, gaudium autem gaudere, pessimam vxorem ab op-

Quam etiā  
rapuit.

Ea in re ma-  
riti dolor.

Quem con-  
siliarij folan-  
tur.

timo marito dissociari. Nullam esse in vita pestem maiorem, quam cum scorto ætatem degere. Lupam ingenium suum ad omnem fraudem versare; eum amorem, quem fronte præ se fert, mente respuere; expilare æxarium; se in intima coniugis consilia fallacissimè insinuare; nihil silere; omnia amatoribus, quibus se per vulgat, enuntiare; neminem esse ad omnia consilia adeò prudentem, quem non meretriciæ blanditiæ infatuare valeant; non esse tutum imitulæ corpusculum amplexu circumPLICARE, dum eius animus in alieno grabato conquiescit; neque regium igitur, neque egregium esse, ob raptam meretriculam muliebriter cruciar; præsenti dolore præterita mala non sedari; ad extremum, friuolum esse, ea, quæ sobria meditatione sanari non possunt, lymphata recordatione exulcerare: alia que plura in eam rationem loquebantur, quibus regem ægritudine leuandum censemabant. Princeps hæc omnia patientissimis auribus accepit, palamque est professus, se in eorum prudentissimis fidelissimisque consiliis libenter velle conquiescere, integrum rem illis referuare.

*Iustus regu-  
lis se permit-  
tit.*

Illi consilium de illata iniuria ineunt, firmo ac maturo decreto statuunt, litteras grauissimæ conquestionis plenas, in primis ad Rothericum dandas. Is erat Conaciæ præfектus, & totius Hiberniæ cùm primarius, tum potentissimus princeps: ad quem Ororicius epistolam, ad hunc modum, exarauit.

### ORORICIVS ROTHERICO S.

*Litteræ „  
Ororicij „  
ad Ro-  
thericum. „*

Etsi non sum nescius, illustrissime princeps, humanos casus æquo semper animo ferendos; & hominis esse, virtutis præstantia excellentis, ob meretricis incon-

stantiam

stantiam mutabilitatemq. non effeminari, tamen cum atrociissimum hoc crimen, quod ad te, certò scio, prius omnium rumore, quam meis litteris allatum est, ita sit hactenus inauditum, ut ante hunc diem non sit, nostra memoria, contra ullum (quod sciam) Hibernicum regem suscepimus: seueritas me iubet, iustitiae concedere, quod caritas monet, vindictae recusare. Si dedecus spes, hoc ad me unum, fateor, pertinet: si causam consideres, ea tibi mecum est communis. Qualem enim in nostris hominibus, nobis regia dominatione devinetis, spem collocabimus, si mulierosus hic moechus, ac potius pudicitiae expugnator, tanti sceleris impunitatem fuerit consecutus? Quippe inulta principum flagitia (qui in omnium oculis habitant) perniciosa imitacionem exempli populo prodere consuescunt. In summa, meam erga te voluntatem satis exploratam habes. viades me fortunae telis sauciatum, maximis incommodis affectum, summis difficultibus afflictum. Reliquum est, cum totus animo, & studio sim tuus, ut iuriarias, quibus laceror, tam consilio togatus, quam auxilio armatus persequaris. Hoc cum velis, & ut velis, non solùm a te postulo, verum etiam flagito. Vale.

His litteris iterum atq. iterum perfectis, Rothericus statore seuerè seducens, cum illo diligenter sermocinatur. vbi vero nuntius, totam rem, yti gesta erat, magis distinetè, quam per uagatus hominum sermo, explicauit, Rothericus vehementer exarsit iracundia; grauiissimis verbis Dermicum, peccato & exemplo tempub. vulnerantem, reprehendit; denique magna contendens voce, religiosum iurauit iusurandum, se, suasque vires, Ororio traditurum. Cum istud idem in epistola, tabellario data,

Ira Rotherici  
in adulteriis.

signifi-

Et sedes  
cius cum  
Oratio.

Agros Det-  
micij incur-  
sant.

Dermicetus  
resistere co-  
natur.

Sed proceres  
eum deserunt.

Ita Dermi-  
cius ad fidem  
regis Angliae  
confugit.

significasset; ambo concordissimi reguli armorum so-  
cietatem coēunt, contra Dermicum, cum manu mu-  
nitissima, de improviso, congreduintur: eiusque agris  
tam celerem inflammationem, vastitatemque intule-  
runt, ut prius bellum gestum, quām comparatum, ho-  
mines prouinciales ab omni suspicione tumultus antē  
vacui, iudicarent. Atque hæc incursio non tam ipsi  
Dermicio acerba, quām eius colonis fortunis omnibus  
expulsis, fuit luctuosa. Quippe solet sæpe diuina ma-  
iestas, inenodabili suo iudicio, pœnas à plebe, ob prin-  
cipis delictum, expetere. Simul Dermicus audiuit(nam  
huic malo, in meretricias fordes depresso & demerso,  
non prospexit) confederatos principes in illius prouin-  
cia prædas facere, villas, succensis ignibus, cremare, to-  
tum territorium permiscere: exercitum cœpit, non me-  
diocri cupiditate, conscribere. At verò proceres, quo-  
rum odium, acerbitate & iniuriis tyrannidis suæ, usque  
ad sanguinem, incitauit, licet essent & precibus rogati,  
& auctoritate arcessiti, non solùm regem deseruerunt,  
sed etiam palam oppugnarunt. Dermicus itaque per-  
spiciens summa se esse miseria præditum; à suis, quibus  
erat tuendus, derelictum; omnibus & pacis ornamen-  
tis; & belli præsidiis orbatum; voluntatem bellandi, si-  
mul cum spe vincendi, desperanter abiecit, nauemque  
conscendens, ad Henricum Secundum Angliæ regein,  
qui iam tum, in Aquitania, publicarum rerum occupa-  
tione tenebatur, remis velisq. peruolauit. Posteaquam  
rumore dissipatum erat, adulterum, omnibus inuisum,  
& odiosum, solum vertisse, tota insula vehementius læ-  
tabatur; atque Rothericus in fugitiui locum, tamquam  
interrex, bene secundo populo, erat subditus. Dermi-  
cius

cius autem pullo amictu vestitus, sordidati exsulis partes suscipit, atque ad Henrici pedes periuolutus, apud eum de suis æluminis deplorat: se repentina esse bello oppressum, vicinos regulos eius sanguinem petere, infestum odium prouincialiū in illum excitare, patria eum expellere, vita, si possent, velle: se igitur, cum vndique solatia deficerent, ad Henricum, cuius benignitas in omnium gentium auribus est posita, configere; prouinciam suam illi tradere; in eius fidem se totum conferre: porrò autem reges, generosos ac potentes, nullo alio modo magis ad diuinam similitudinem accedere, quam perditorum fortunas leuare, adflictos erigere, rebus suis diffidentes ac desperantes confirmare, exactis regibus calamitatem detrahere, denique principibus, regio diademate iniquissimè spoliatis, pristinam reddere dignitatem. Ceterū de Ororicij vxore, ab eo attrectata, mirum silentium. Nam quotus quisque reperiatur, qui suæ calamitatis enarrator, non sibi se æquiorem præbeat, quam illis, à quibus vulnus acceperit? Quoquo inodo autem se res habuit, lamentabilis Dermicij conquestio eos, in regis animo, aculeos relinquebat, ut vehementi miseratione permoueri videretur. Non sanè hoc quidem mirabile. Nam cum infimorum hominum adflectæ prostratæque fortunæ, si dolenter explicentur, multorum animos ad misericordiam ducant, tum regum calamitates, quorum nomen apud alias præsertim principes, magnam obtinet religioneim, quam maximè miserabiles videri solent. Henricus itaque exsulem grauissimis verbis consolatur, cui firmam spem recuperandi regni iniicit, duimmodo promissis stet, atque Britannico imperio suos regales fasces submittat.

I

Hic

Rex Angliae  
cum suscipit  
& firmat.  
Cum spe &  
lege noui re-  
gni.

Hic cùm Dermicius se firmissimo iureiurando obli-gasset, Henricus ad omnes, sub suo imperio subiectos, has litteras scripsit.

” HENRICVS REX ANGLIÆ, DVX  
 ” NORMANNIAE, ET AQVITANIAE, ET  
 ” Comes Andegauiax vniuersis fidelibus suis,  
 ” Anglis, Normannis, Gvvalensibus & Scotis,  
 ” cunctisque nationibus, suæ ditioni subiectis Salutem.

Litteræ regis ad suos, pro Dermicio, C v m Dermicius, Lageniæ princeps, regno suo ini-quissimè expulsus, nostrum auxilium implorarit, nos, propterea quòd illum in fidem, atque amicitiam nostram recepimus, & prolixam erga nostram dignitatē, amicissimi regis voluntatem, multis nominibus caram apud nos habemus, omnibus, qui in nostra ditione ac potestate sunt, licentiam damus, se in eius societatem liberè offerre, & ad illius iniurias vlciscendas, quibus armis poterit, incumbere. Quisquis huius principis reductioni suum studium præstiterit, sciat, illud & nobis valdè probatum iri, & ipsi Dermicio pergratum fore. Exful, his litteris à rege acceptis, in Angliam, vento In Angliam redit Dermicius. vsus secundo, nauigauit, & ad ciuitatem Bristolensem, magna cum lætitia, tum gloria elatus, se contulit. Ibi pauculos dies commoratus, negotiatores Hibernos conuénit, qui omnes rumores domi exceptos ad regem cotidie detulerunt. Dermicius interim nativo patriæ vindicæ ardore inflammatus (nam in his rebus, à quibus arcemur, desiderium crebrius refricamus) nihil prius quidquam habuit, quam vt ad vnum aliquem Hiberniæ por-

niæ portum, circumseptus lectissimorum militum viribus, adspiraret. Quocirca ut rem ocyus conficiat, agnoscitæ suò dat negotiū, Henrici regis diploma, cum ipsius Dermicij liberalitatis corollario, in magno ciuium conuentu ac frequentia, recitare, atque harum litteratum exempla, in valuis & columnis, propalam omnibus conspicienda, defigere. Adfuit, id temporis Bristolli, Richardus Strigulensis, qui vulgo Strangbous appellatur, vir honorificissimus, Chepstovviæ ac Pembrociæ comes, & Gilberti comitis filius. Is ex antiquissima, nobilissimaque Clarenciæ stirpe ortus erat, ait apud Henricum Regem (nescio qua suspicione adspersus) omni gratia atque auctoritate carebat. Non omittens igitur, quam diu multumque optabat, oblatam occasionem, cum exterminato rege, de reditu in Hiberniam, agit: seipsum ad eius cauſam adiungere confirmat, modo fidem det, cum eum reduxerit, atque regno reddiderit, filiam suam Euam, reducenti in matrimonium collocare, totius item regni hereditatem vtrique coniugi, post suum occasum, dare possidendam. Binas hasce æquissimas conditiones exsul non modo non respuere, sed summa etiam voluntate comiti concedere. Strangbous igitur, regem, vt fit, manu prehendens, ei spondere, in seque recipere, ad Hiberniam, in eunte vere, cum auxiliariis militibus venturum, & regi & regno præsidio futurum. Etsi haec Strangboi promissa Dermicij animum crexerunt; tamen quoniam mitum patriæ desiderium hominem tenuit, ad maritimas Meneniæ oras, in meridiē sitas, iter habuit, yti in Hiberniam furtim trahit. Atqui illo ipso tempore Cambrensem prouinciam habuit Resus, Griffini filius, & Dauid antistes, aucto-

Et regis litteras publicè recitat.

Richardus  
Strangbous.

Auxilium  
promittit  
Dermicio.

ritate grauis, sanctitate excellens, Meneniam (quæ diœcesis S. Dauidis communiter vocatur) Pontificia auctoritate administrauit. Vterque Dermicium satis liberali hospitio accepit, quamdiu in maritimis, propter nauigandi difficultatem, fuit commoratus. Ea tempestate Robertus Stephani filius, in hac reipub. parte, summo magistratu præditus erat. Quippe ad eximios honores, plurimis gradibus officiorum erga Henricum Secundum, peruererat. Sed cum is quorundam perfidorum dolosis consiliis esset comprehensus, atque Reso traditus, domum apud illum, totum pænè quadriennium, vinculis districtus & deuinctus tenebatur. Quibus multò antè se laxare captiuus potuerat, si fidem Reso adstrinxisset, contra Henricum Secundum, cum illo armorum pactiones sociatesque conflare. Cui quidem improbissimæ conspirationi cum vir fidelissimus, & optimo animo vtens refragaretur, malebat perpetuis vinculis colligari, quam legitimi regis auctoritatem, pro qua pugnare deberet, oppugnare. In quo sanè à maioribus suis, omni laude summaque fide præstantibus, non degenerauit. Nam eum progenuit Nesta, famina illustri nobilitatis ac dignitatis laude celebrata, ex quo effectum est, ut cum Reso, Griffini filio, cuius erat consobrinus, sanguinis communione coniungeretur. Erant huic Roberto duo fratres, eiusdem alii sociate cum illo copulati. Dauid antistes Menenensis, qui à me modo est nominatus, atque Mauritius Giraldi filius: quorum alter cælestis sapientiae diuinitate, alter politicæ cuiusdam prudentiæ acumine reliquis eius prouinciæ hominibus longè excellere asserebatur. Mauritius Giraldus venit eodem, regis salutandi ac viscendi caussa,

Robertus  
Stephaniæ.

Qui falsò  
regi suspe-  
ctus.

Eius stem-  
ma, & cog-  
natio.

Mauritius  
Giraldus,  
Roberti fra-  
ter.

caussa, quo cum de reductione sua, multos sermones, in multis horas, habuit. Variis iam tandem verbis ultra citroque factis, Mauritius, una cum fratre suo Roberto adhuc vinculis adstricto, regij redditus sociū adiutoremque se præbere, post brumam, promittit; modò Dermicius ambobus fratribus, cum primum se in regnum recipiet, opidum Guesfordiam, & finitimum pomerium se daturum, spondeat. Commodum rex toto capite & pectore annuebat, cum pontifex Menenensis, & Mauritius Giraldus Resum adirent, precibus omnibus orarent, & obtestarentur, ut Robertum fratrem è diuturna custodia emitteret, ea tamen lege, ut patrias sedes relinquat, ac vitae suæ cursum peregrè conficiat. Resus æquam & honestam supplicum obsecrationem repudiare non potuit, quin etiam eo grauiorem duxit, propterea quod exulceratos iratorum fratrum animos, iam tandem demulcere, atque lenire laborauit. Dermicius, toto hoc tempore, domum spectans (nam mira fuit cupiditate incensus ad reditum) hominis priuati personam sibi imponere, in Hiberniam, ad calend. Sextiles, expeditè nauigare, atque ab hominibus, religiosis ac solitariis institutis consecratis, tanquam peregrinus, acceptus, in eorum gymnasio, omnibus inscientibus, hibernare. poste aquam, circa primordium anni vertentis, verni temporis accessus turbulenti maris murmur sedauit; Robertus Stephanides, emissus è carcere, tum sua, tum Geraldini fratris missa patrare cupiens, cum triginta equestreris ordinis viris, qui eum summa necessitudine attingebant, cum sexagenis velitibus bene armatis, & trecentis sagittariis, ex dilecto totius Cambrensis iuuentutis flore, tribus nauibus, in † Bannuam erat adiectus. Inter

Hi duo re-  
ducendū  
Dermicum  
suscipiunt.

Robertus  
vincis absolu-  
tur.

Dermicus  
clām in Hi-  
berniā redit.

Ibi que hie-  
mem vnam  
latitat.

Copia Ro-  
berti, quas in  
Hiberniam  
traiecit.

† Bannua est  
insula non  
procul ab o-  
pidio Gues-  
fordiensis di-  
stans: Gues-  
fordia in La-  
genia confi-  
xit, ut in lib.  
1. est expli-  
catum.

ceteros, Herueius de monte Maurisco, Roberti patruus, nepoti suo se comitem præbuit. Cùm autem huic homini fortuna, tanquam nouerca, semper inimicissima exstiterit, ea fuit rerum tenuitate oppressus, vt homuncio omnium contemptissimus, & quasi de lapide emtus, per omnes anteactæ ætatis gradus, haberetur. Sed diurna hæc infortunati hominis calamitas, Roberti gloriae segete ac materiam suppeditauit. Nam cùm plerisque vñi venire constet, iacente & inclinatam propinquorum fortunam fastidire, Robertus de odioso hoc insolentiae curriculo deflectens, in aliam viam ingreditur, patruo suo omnibus, quibus potest, rebus commodat, & hominem neminem, victus ac vitæ consuetudine, secum ita coniunctum habet. Quippe fas esse non duxit vir moderatissimis moribus imbutus, eam consuetudinem, & amicitiam, quam sanguinis propinquitas coniugavit, aduersa, vel euersa penitus fortuna, disiungi & diuelli. Vix quatriduū intercesserat, (vt redeam ad id, vnde cœpi) à Roberti aduentu, cùm Mauritius Prendelgastus, maximi animi vir, decem primariis equitibus, rerum gestarum gloria nobilitatis, & laudabili sagittariorum multitudine circumfessus ad istam ipsam insulam Bannuensem, passis velis, accessit. Britannica classicula in naualibus tutò collocata, Stephanides litteras delectionis & solatij plenas, tabellario ad Dermicum dedit. Erexit se his Lageniae regulus: ex diuferioriolo, in quo clam hiemauit, emersit, atque regalem suam dignitatem, in solem ac hominum adspectum, produxit. ybi non vario hominum sermone per totam fuit Lageniam diuulgatum, Dermicum, cum innumbris Britannorum copiis, aliarumque præterea gentium maxima

Accessus in  
Hiberniam  
Mauritii  
Prendelgasti

Litteræ Ro-  
berti ad Der-  
micium ad-  
huc latitan-  
tem.

in xiima manu, in patriam rediisse (solet enim fama, dum per hominum ora, properans festinansque, peruidit, rem, quam perfert ac dedit, cottidiana vanitatis accessione, exaggerare) maximus metus vniuersis Lageniensibus (quibus principis redditus praeuisus, & præcautus non erat) propositus & injectus fuit. Vix quidem credibile erat, quam frequens ex omnibus partibus ad reducem concursus fiebat. Nam qui antea se totos, & animis & corporibus, ad principis perniciem contulerunt, iam nunc ubi eum vident cum fortuna in gratiam redire, prospero quodam flatu vti; illi etiam incipiunt velificationem mutare, ac regi, si non mente, saltem fronte lenocinari. Duuenaldus à Dermicio mandata sumvit, obuiam Britannis procedere, atque illis de eorum in Hiberniam aduentu, summa animi alacritate, gratulari. Duuenaldus fuit Dermicij nothus, in quem pater perhonorificus fuit, quod se totum genitoris voluntati officiosius dederit: quin etiam apud omnem Lageniae populum, ob vitam eleganter traductam, egregie gratus vixit. Non prius Duuenaldus militibus erat obuius, quam ipsemet Dermicius, cum magna equitum & peditum copia, filium in castra persequeretur. Hic cum princeps atque Robertus, inter se complexi, primam foederis sanctionem, multis audientibus, iterassent, & exercitum prope Guesfordiam, quæ à Banuia duodecim millia passuum abest, directo ordine ad mouerunt. Percurrit huius rei fama per omnes Guesfordiae vicos. Municipes, acceptis sagulis, & eductis sudibus in hostium aciem irruere, & copias profligare statuunt. Verum inani spe ad istum conatum prouiehuntur. Nam cum municipio exirent duo pñne millia homi-

Trepidatio  
Hiberniorum,  
in hac muta-  
tione & no-  
uatione.

Quorum  
plerique ite-  
rum Dermi-  
cio se adiu-  
guat.

Duuenaldus  
ille Dermi-  
cij filius.

Regulus ipse  
obuiat Bri-  
tannis, gra-  
tulandi cau-  
sa.

Guesfordie-  
ses vincuntur  
primi.

hominum , atque ad eum ferè locum , in quo Dermicius castra habebat, gradum facerent; animis subito obstupefacti cadebant, simul ac propè perspiciebant, nouum quoddam bellandi genus, quod ante istum diem illis non inuisum modò, sed etiam inauditum fuit. Nam rutilus armorum splendor, inusitatus buccinarum clangor, nouæ fistularum flexiones, instructio adspectusque signorum , equitatus in quadrum redactus , peditatus ordinem tenens, non mediocrem nouitiis bellatoribus, molæ quam militiae aptioribus, terrorem apposuit. Formidolosè ergo ad opidum concurrunt, suburbanis casis ignes inferunt, aditus claudunt, se mœnibus circumvallant.

*Opidum ipsum à Dermicio & Britannis obsidetur.*

Dermicius ac Stephanides , dum fugientes opidanos præuertere cupiunt, ad ipsos ferè Guesfordiæ muros exercitum adducunt. Municipes verò, perinde quasi hostes in nullo metu ponerent, eorum aduentum, in speciem, parui pendere, in suis præsidiis constere, hiulco rictu obfessores irridere. Stephanides, opidianorum pertinaciam ægrè ferens, gladiatores suos proprius in lacunis, sat magnis aggeribus firmatis, sagittarios verò paullò longius, in præcelsa editaque statione, collocauit. Tum Britannici milites , buccinarum cantu ad pugnandum inflammati, vexilla tollere, tela iacere, hostes pilis & sagittis vulnerare. Municipes, ex contraria parte, acriter repugnare, magna & continua lapidatione hostes à mœnibus pugnaciter depellere. Merebat,

*Quod opidi strenue defendantur.*

Roberti cuiusdam, An. glicani militis, virtus. eo tempore, in Britannico exercitu, Robertus Barrensis, adhuc pñè ephebus, egregia spe maximæ fortitudinis tiro. Id quod in hac oppugnatione non modò significauit, sed etiam declarauit. Omnia primus ad mœnia accessit: neque verò sibi ipsi satisfecit, dum manum

cum

cum hostibus conseruit, sed nimis iuueniliter exsultans, ad municipij propugnacula, nullis vineis protectus, adiulauit, & vitam suam in magnum discrimen obtulit. Quippe ingenti disco, rapidè è muri pinna dilapso, illis, in proximam fossam, non sine acerbissimo commilitonum sensu ac dolore, cecidit. Eum socij spirantem, verùm in maximis pœnis hærentem ad militare tabernaculum adducunt. Hæc faxi coniectio hominem adolescentem longo tempore vehementer excruciauit. Etsi enim lapis bucculam galeæ solummodo percussit, eo tamen ponderoso iœtu capitis vertex satis periculose quassatus erat. Nec verò illud prætereundum arbitror, saucio genuinos, decem & sex post annos, concidisse atq. alios intimos dentes, perinde ac si repuerasceret, illis succreuisse. Primo itaque die Britannicus exercitus valde acerbos Guesfordienses habuit. Nam cùm in opidi defensione acerrimè stetissent, grauiores plagas hostibus inflixerunt, quàm ab hostibus acceperunt. Milites expugnatione supersedent, ad proximum litus magno impetu concurrunt, nonnulla nauigia, torribus injectis, inflammant. Quæ quidem exustiones risum opidanis mouent, stomachum illis non faciunt. Quare palmarum intentu, ac magno clamore probra hostibus obiiciunt, eos, nimirum, imitari ignauos & arthriticos accipitres, qui in rapacitatis auditate, auibus relictis, muscas capiunt. Ad hæc, nihil esse stultius, quàm, vbi hostium corpora, apta petitione, sauciare non possunt, extremos velle vnguium apices, vti rediuiam exulcerent, scalpello resecare: non esse bellicosi militis, eminus nugari, quoties ei licet cominus velitari. Verùm Britannici milites, maledicas hasce ineptias ac stultitias de-

Eius periculum, & vulnus.

*Britannici na-  
ves combu-  
runt,*

Prede caus  
fa, etiam Bri-  
tannicam  
aggrediu-  
tur.

Quæ astu &  
robore Gu-  
bernatoris  
feruata.

uorantes, res suas, acri Marte, persequuntur. Rostratam nauem vino & frumento refertam, non ita procul à li-  
tore fluitantem, conspiciunt. venit, negotiationis causa,  
ex Britannia. Eam, sumtis scaphis, milites condescendunt,  
ac in mercatorum bona se immittunt. Nauis rector  
suis iniuriosius tractari perspiciens, clām, dum piratæ  
subter foros nauem exinanire cogitabant, ancoras præ-  
cidi, aplustria ordinari, & vela, omni celeritate, in altum  
dari, imperauit. Interea dum nautæ, ad nutum parati,  
funguntur suo munere, ecce mare, subita ac immoderata  
tempestate agitatum, vectores gurgite propemodum  
inundat. Hic milites mirari, qui fieret, ut in portu,  
quem se tenere putabant, tam turbulentis procellis na-  
uis iactaretur. Sed aliter res cecidit, quam opinati sunt.  
Nam dum de illis aliqui, ad fidē faciendam, emnia oculi  
contuentur, salo quoquo versus circūscripti, portum  
conspicere vix possunt. Hic milites tum terrorem nauis,  
tum spem ostendere, tum nauis præfectum mina-  
tionibus insequi, tum amicè obsecrare, ut eos ad por-  
tum prouehat. Si quid detrimenti mercatores capiant,  
numerato nummo, tantum damni affatim resarcire pro-  
mittunt. Gubernator facilè se exorari est paclus, &  
prospero, quo ad eius fieri potuit, reflatu vsus, nauim ad  
portum difficiliter applicuit. Iste rerum asperitates val-  
dè regem, Robertumque momorderunt, cum milites  
suos, terra marique in tantas difficultates incurvare vi-  
dissent. Postero die Dermicus graues habuit ac diffi-  
ciles deliberationes, de Guesfordiensium obsidione: ad  
quas ut adhibuit primos exercitus ductores, unus ex il-  
lis, diuino quadam spiritu adflatus, oratione explican-  
dum sumisit, haud quaquam sanè mirandum esse, deum

(quem

Deliberatio  
reguli & Bri-  
tannorum  
super Gues-  
fordiae obsi-  
dione.  
Pium cui s-  
dam, & non  
pro milite,  
consilium.

(quem venerari, quem precari, cuius opem implorare debent) eorum optatis non respondere; cum nullam religionis Christianæ rationem colerent, nullam curam, & cogitationem in numinis laude ponerent; sed prius se in vita pericula committerent, quam diuinæ Maiestati, orationem suffimentis, litarent. Nam si, inquit, memoriae proditum est, priscos illos, & vetulos bellatores, quorum mentes nunquam Christiana fides imbuerat, immo qui non habuerunt notitiam aliquam veri Dei, nefas duxisse, ante, cum hostibus, armis configere, quam flamines suos consularent, deorumque numina victimis expiarent: quia fieri potest, quin in illis, qui Christiano charactere sunt insigniti, & religionis præceptis, institutisque instructi, non horibile quoddam crimen inhæreat, quod prius humana pericula adeant, quam in diuinam clientelam se committant? Solum Deum (penes quem pacis, & belli est potestas) hominibus salutem dare, militibus, eius voluntati mancipatis, victoram clargiri: eos autem, qui primordia agendi à numine non capiunt, sed in militum numero, in armorum firmitate, in hostium imbecillitate, omnem laureolæ speim ponunt, viam, ad victorias obtainendas, expeditam ignorare. placuit hæc ratio & oratio principi, grata reliquorum approbatio consecuta est. Quemadmodum enim, in copiarum adfluentia, permulti diuinam religionem extingui facile patiuntur; ita, qui dura fortuna, atque crudeli afflictantur, ad diuinitatis memoriam, persæpe renouandam, acriori studio excitantur. Hoc igitur castrensi cœtu dimisso, Dermicius, & Stephanides sacerdotes accersi iubent, qui res diuinæ numini instituant, publico edicto, per præconem diuulgato, militibus imp

A Deo plato omnis victoria.

Res aduersæ pietatem in gerunt.

Sacra igitur fiunt.

K 2. peratur,

peratur, tota mente, ac acerrima cogitatione, ad Christi laudes incumbere. Sacrificio sollenni religiosissimè

*Opidum de-  
nuò oppug-  
natur.*

facto, Dermicius ac Robertus, ad ipsos ferè muros Guesfordiæ, castra iterùm locant, & opidum, extraordinariis quibusdam machinarum tormentis, verberare incipiunt.

Opidani interim, tametsi obsidionis metum diutius sustinere non poterant, pacem tamen, prout erat hominum pertinacia, efflagitare nolebant. Erant Guesfordiæ, per idem tempus, non sine aliquo, ut putabatur, diuino numine, duo vel tres pontifices qui obsidionis curam, magna sollicitudine, sustinebant. In hoc enim vno animos habebant occupatos, oriens formidolosissimi belli incendium restinguere, & municipes ad regis auctoritatem adducere.

*Episcopi ali-  
quot, ciues  
ad pacem  
inclinant.*

Quare eos iterùm ac sèpius, ad pacem & officium, cohortantur. Infinita armorum detrimenta in eorum auribus defigunt: belli scilicet continuatione religionis mysteria pollui, spoliari aedes, funestari ciuium sanguine cloacas, viduas opprimi, virgines constuprari, vxores, etiam maritis intuentibus, ad inflammatas militum libidines explendas compelli; matres à liberum complexu excludi, liberis manus adferri, postremò omnia sursum versum inuerti: dumque his rebus exempla, ex omnibus sæculis repetita, adiungebant,

tum in eam partem oratione ferebantur, in primis flagitosum putandum esse, contra regem, cuiusmodicunque existat, & in cuius auctoritatem sunt iurati, arma contumaciter ferre. Regum dominationes hominum generi diuinitùs esse datas: principes igitur, si boni sint, amandos, si mali, tolerandos esse, ita ut ciues neque regum prauitatem, propter eorum auctoritatem imiten-  
*Regum san-  
ctitas.*

tur, neq. regum auctoritatem (quæ apud omnes grauissima

sum esse debet) ob eorum prauitatem aspernentur. Quare cum constet, neminem hominem esse, cui aliquid aut sensus, aut sanitatis insit, qui iniquissimis armis æquissimum otium non anteponat, cumque opidani viribus & armis non sint pares, caussa vero longe inferiores; prudenter esse, confirmabant, certas pacis conditiones accipere, quam incertos belli euentus periclitari. Opidani statim ut pontifices, hac exhortatione, partim eis terrorē iniecerunt, partim eos religione obstrinxerunt, audaciam minuere, & ad principis auctoritatem, sine cunctatione, redire statuerunt. Orant, atque obsecrant pontifices, ad castra, quasi interuentores, exire, regis voluntatem illis, quibus rebus possint, reconciliare, proditionis liberationem ab eo impetrare. Legationis munus antistites, libentissimis animis, obeunt, regem officiosè persalutant, se pro opidanis supplices, profitentur, qui suam pertinaciā agnoscent, ut rex ignoscat, seueritatemque dissoluat, orant. Leuiter pontifices, clementerque Dermicius accepit. Eum mirificè placabilem exorabilemque inueniunt. Supplicant, impetrant: optant, habent. Nam Dermicius ingeneratam naturæ suæ immanitatem, ad tempus, suorum consilio ductus, temperauit. Quare graues municipum iniurias obliuione conterere, atque omnem simultatem in perpetuum deponere promittit, ea tamen lege, ut quattuor opidi decuriones obsides habeant, qui fidem suam, in futuram municipum obedientiam, interponent. Opidani conditiones accipiunt, principi portas aperiunt, honorificis supplicationibus eum in opidum recipiunt. Per paucos ibi dies commoratus Guesfordiam, & viciniam Stephanidi ac Mauritio Giraldo, qui adhuc in Britannia

Episcopi legati in castra  
veniunt.

Et pacem  
impetrant,  
sed infidam.

Dermicij  
dona & libe-  
ralitas in  
Anglos.

erat, in perpetuum dedit. Stipendium etiam militibus largè effusèque numerauit. Herueio item (quem secundum Robertum, in primis præfectis habuit) circiter duo millia iugerum, cum variis prædiolis, inter Guesfordiam ac Waterfordiam sitis, dilargitus fuit: quorum prouentibus, ex egestate, in terum affluentiam, breui temporis decursu, traductus erat. Hac liberalitatis magnificentia fidem suam Dermicius liberauit, atque militum animos, amabilissimo benevolentiae vinculo, sibi deuinxit. Confectis his rebus, rex, cum exercitu, Guesfordiensium supplemento bene aucto, ad Ossiriam viam perrexit. Duuenaldus, per hos dies, Ossiriam in sua potestate retinuit; quocum graues, & diurnas simultates Dermicius habuit. Nam eius filium Duuenaldus iam olim in custodiam dedit, atque zelotypæ amentia flagrans, vincitum uno priuavit oculo, cuius dolore consumptus fertur luscus. Dermicius igitur tempestatem oblataim, ad veteres injurias vlciscendas, non amittens, sceleris memoriam excitare, & magna verborum acerbitate vsus, Duuenaldi ferociam, in militum conspectu, collocare. Qua quidem invectione, in ipsum tyrannum acerbum odium, & in eius diritatem grauem totius exercitus offensionem concitare. Fama, tota Hibernia, percrebrescit (neque enim ista obscure gerebantur.) Lageniae regem, in viam, quæ ad Ossiriam fert, cum magno & equitatu & peditatu, se demittere, ignem ferrumque incolis minitari. Hoc sermone celebrato, magna multitudo Ossiriensium, ad territorij fines concurrit, introitus omnes, munitione ac mole aggerum operarij firmant, ut agros & fortunas, ab incursione atque impetu armatorum tueri valeant. Cum tandem

Dermicij in  
Ossiriam ex-  
pediatio.

Eiusque bel-  
li causa.

Ossirienses  
parant se ad  
repugnandam.

Aditus om-  
nes obsepiunt.

tandem regis milites prope Ossirienses aduentassent, & nullum sibi aditum, ad hostium statua expugnanda, munire potuissent (erat enim locus, in quo militaria habuerunt velabra, admodum lacunosus, arduis item tramitibus, & paludibus interclusus) vix in Ossiriensium confinia vexilla intulerant, cum receptui canere, atque tergiuersari, timidi scilicet ac trementes, simulascent.

Ossirienses arbitrati, hostes, timore perculfos, se in fugam dedisse, vincendi spe elati, eos in campum, ad prælendum amplissimum, aceruatim persequuntur. Stephanides turmam hastatam celerrime obuertit, redditum Ossiriensibus præcidit, inermes, & malè tunicatos tirones hastis transfigit. Quos autem equitatus semiuiuos relinquere, peditatus confessim, gladiis & securibus, concidere. Ossiriensibus ad hunc modum, militum impletu percussis atque prostratis, victores occisorum capita, quæ numero erant ducenta, passim in acie dispersa, in unum locum congregare, & ad principis pedes congregata abiicere. Is, dum aceruis capitum exstruetis, oculos pascit, unum fortuitò inspectat, quod valde celetriter atripiens, repétino gaudio exsilit, & passis manibus, suspiciens in cælum, grates summo Deo ex intimis animi recessibus agit, quod inimicissimi sui caput (huius autem nomen ex omni monumentorum memoria reuulsum est) iam tandem videat amputatum: cumque hoc, maxima voce dixisset, caput rursus in manibus tenens, crudelitatem suam in eo exercuit. Nam stillantes nares, ac cruenta labra, madidis dentibus, corrosit, & sanguinem non solum gustauit, sed etiam exsorbut. Hanc ferinam lacerationem, factu turpem, visu foedam, exercitus tacite obscureque perhorrescere, licet nemo

Quos stratae  
gemate ho-  
litus petrupit.

Ita Ossiri-  
enes passim  
cauti.

Dermicij  
cruda crude-  
litas.

contra

contra eam apertè hisceret. Paruam inibi moram Britanni faciunt, intimas Ossiriæ partes percursant; nullum locum relinquunt, quem non incendij, rapinarum, de-populationis vestigiis imprimant. Dum ad hunc modum Britanni, in reliquiis Ossiriæ delendis, agrisque populandis, tempus consumunt; Duuenaldus, quem præ-sens timor, nullus præcedens amor flexibilem reddit, nuntios & obsides, ad pacem conciliandam, ad regem allegat. Eius petitioni, multis precibus non modò nuntiorum, sed summa etiam Stephanidis contentione vi-citus, præsto est. Quare pacem cum Duuenaldo confirmat, nuntios, cum bona gratia, dimitit. In hac confictione Robertus Barrensis, quem paullò antè nominaui, & Meilerius adeò fortes, atque impigros se præ-buerunt, vt eorum virtus aliorum laudibus obscuritatem adulterit. Erant ambo homines adolescentes, ambo Stephanidis nepotes, quorum alter ex fratre, alter ex sorore erat; qui, cùm in re militari peræquè floruerint, in persimili tamen laude, longè dissimiles exstiterunt. Meiletius, cupidus splendoris & gloriae, ad hoc vnum, reliquis rebus posthabitatis, mentem cogitationemque suam incitauit, vt omnes laudes colligeret, & in sermone hominum virtutis suæ monumentum perpetuum relinqueret. Verùm Barrensis, remotus ab omni inani laude, in minimis semper ponebat, auram popularem aucupari; nec tam fortis videri, quàm esse cupiebat. Erat adolescens pudicissimus, venditationis expers. nam famam suam malebat velis quibusdam obtendere, quàm hominibus conspicendam, quasi in aperto theatro, collocare. Ex quo tamen hoc erat adsecutus, vt cùm laudis gratia nihil gesserit, omnia tamen laudanda essent,

quæ

Pax cum  
Duuenaldo  
inita.

Robertus Bar-  
rensis & Mei-  
letius laudes.

quæ gessit. Solet sape gloria, fugaces persequi, procos & persequentes subterfugere: & sunt nonnulli, qui vel eò magis hominibus placent, quòd eis placere minus laborent. Cùm omnia in Ossiria essent pacata, rex, & duces, in castello peruetusto rimasqué agente, pernoctabant. Milites, partim quòd essent de via fessi, partim quòd de varia expeditione languerent, arctissimus somnus complectebatur. Nocte autem intempesta, horrifonus armorum strepitus, equitum sonitus, & terribilis fragor, cum quibusdam aliis metuendis rebus, audiebatur. Quibus Robertus Barrensis, & Meilerius, qui simul cubabant, de somno excitati, ad auunculi tabernaculum, sumtis armis, cursim contendunt. Toto confestim exercitu somno soluto, quidam suspicantur, castellum, de cælo percussum, concidisse, eaque ruina regem & duces obtritos interiisse. Alij opinati, hostes inexspectatos aduentare, fugam præpopera celeritate querunt, & in vepribus noctu latitant. vt primùm posterus dies albescebat, & diligentि disquisitione inuestigatum erat, nocturnum hunc ac horriferum fremitum ex cælo tantum fuisse auditum, rex & Stephanides, ad iocandum prompti, non solum ridere, sed etiam cachinnari, adeò vt facetè & comodè obiicerent militibus (quippe iuuat in rebus seriis animos quandoque cura relaxare) eos sua stipendia malè mereri, qui, spectris, ac anilibus visionibus perterriti, se in salicta, ac potius dumeta abderent. Verisimile esse, eos costarum oppositus pertimescere, qui manias & umbras ita perhorrescerent. De hoc subito timore maximus erat militum risus, quibus principis ironia tum grata, tum iucunda accidebat. Etenim non facile est explicatu, quām mirificè conciliet

Panicus in  
exercitu ter-  
ror.

animos militum vrbanitas festiuitasque imperatorum. Dum Britanni, satis fortunato ductu, rem in Hibernia gerunt, incolae vbiique locoruin famam dissipant, Dermicium, cum magno exercitu, ex Britannis collecto, Guesfordiam & Ossiriam debellasse, imò amissam Lageniam recuperasse. Quod vbi Rothericus, Connaciæ rex, & primarius, vt antè dixi, totius Hiberniæ princeps, intellexit (intellexit autem, statim atque peregrina bella in insulam fuerunt inuecta) valdè vehementer anxius, cum proceribus, quos in consilio habuit, de inopinato regis reditu, atque de tam repentina victoria commentari meditarique cœpit. Nam cùm maximum bellum ab exercitu victore impendere animaduerteret, ne in eius item fines, in hoc tanto motu, erumperet, subueneri incipiebat. Rothericus fuit vir perspicax, ad coniecturam rerum futurarum cumprimit sapiens : in omni re proposita, potius quid mali contingere posset, timebat, quàm quid boni euenire vellet, sperabat. vt ergo præmeditatione futurorum malorum protectior eslet, proterendum adulterum, in patriam suam peregrinitatem infudentem ; conculcandos aduenas, & prius sumantes torres, quàm ignescant, restinguendos iudicauit. Tabellarios ad vicinos reges, & omnes insulæ optimates mittit ; quibus, sine procrastinatione, ad commune præsidium excitatis, magnus exercitus contra Britannos, circa Kinceliam comparatur. Simul vt de hoc Dermicius nuntium accepit, perturbato fuit animo de salute sua. Multi etiam Lagenienses, cùm fortunam reflare viderent, principem in salebris hærentein, relinquere, & ad Rotherici legiones, tamquam perfidiosi desertores, se conserre. Verùm Robertus Stephanides ea fuit animi æquitate

Rotherici  
regis consilia,  
contra An-  
glos & Der-  
micium.

Prouida eius  
mens.

Hibernos  
omnes con-  
citata

Metus Der-  
micij, &  
multorum  
perfidia.

Robertio-  
bur.

æquitate plerunque præditus, vt nec rebus prosperis extolli, nec aduersis frangi, multum confueuerit. Ille, cum Britanicis copiolis, Dermicio, desperatis rebus omnibus, præsto fuit, dissidenti animum addidit, ei persuadens, vieto corde non esse; contraque in his duris temporibus, inanem hunc metum, regia animi sublatione, sibi minuere: aut enim breui, inquit, communis mors, cum perenni laude, subeunda; aut communis victoria, cum sempiterna gloria, erit consequenda. Firmorem regis animum haec oratio fecit. Quare Britanni exiguae suas copias in pratulum, non longo interuallo Ferneſia diſiunctum, denſo etiam asperoque saltu vndique interclusum, compingebant. Adhaec, fodicantes operarij, continuis fissionibus, omnem intrandi viam obſepiebant. His ad hunc modum negotiis confectis, à Rotherico ad Robertum legati litteræque venerunt, perhūmaniter scriptæ, quarum caput erat: Britannis, per leges, non licere, exercitu & signis inferendis, in alienas poffefſiones, eiectis veris heredibus, irruere: quin potius domum, cum bona Hibernorum venia, repedandum eſſe. Facinus haberi Britannica dignatione indignum, flagitium infame iniquo iure defendere: eamque regalem potestatem, quam luxuriosus hic ac profusus nepos (Dermicium intellexit) per mulierarias libidines perdidit, per Britannorum ſubſidia recuperari non debere. Defenſionem hominis turpis, defenſoribus non poſſe non turpe eſſe. Quamobrem illis expedire, in Britanniam, quietiſſima mente, remigrare, & extorrem iſtum grauifſimis ignominiis notatum, omniq[ue] auſtoritate ac ſpe ſalutis ſpoliatum, deſerere. Etenim credibile eſſe, eos, qui ſtantem & florentem regem percu-

Rotherici  
litteræ ad  
Robertum.  
Quibus diſ-  
ceſſum & re-  
ditum suadet

Legati donis  
Roberti fidē  
tentant, fru-  
strā.

Eiusque ad  
legationem  
responso.

lerunt, iacentem & exilio multatum transfigum, nullo negotio, posse prosternere. Atque ut grauius in eam rationem legati Stephanidem inducerent, integerrimi viri fidei, omni ratione, labefactare conabantur. Ceterū Stephanides eorum dona aspernatus, respondit, non esse suæ consuetudinis, argenteis crustis adulterari, atque instar cauponis, fidem, fidelissimo amico datam, pecunia captum prodere. At in patrias terras deimigrandum est. Itane verò? Quorsum recidit hæc legatio? Num talaria induenda? Si Rothericus amicus admonet, consilium eius non exquirimus: si vates hariolatur, oraculo non credimus: si princeps imperat, auctoritatem repudiamus: si hostis deterret, minas nauci habemus. Male mihi sit, si non ego multò malim (ut idem pro commilitonibus meis respondeam) inter cottidianos hostium impetus me obiicere, quam, ob tam ridiculas minationes domumitionem semel meditari. Quare Stephanides legationem reiecit, & nuntiis imperauit, ad emporium aliquod conuolare, atque inibi mercatum fidei instituere. In illius castris integritatem venalem non esse, Britannos honestam laudem, non turpe lucrum spectare. Iter ergo ad Rothericum eos iussit capere, eique significare, Britannos non esse infantulos, quos puerilia crepundia delectent. Atqui si pro caussæ æquitate, armis decertare voluerit (quod à Rotherico Britanni in beneficij loco & gratiæ peterent) sentiet eos, non in alienum patrimonium, contra ius fasque, irrumperet, sed in suas possessiones pedem, optimo iure, ponere. Ad Rothericum nuntij, re inorata, redeunt. à quibus certior factus, Robertum Stephanidem eos aspergit verbis accepisse, legationem repudiassè, fidem suam minimè

minimè venalem proponere, iracundia permouetur, mittitque mandata ad ipsum Dermicum, plus animi, quām consilij habentia. Protinus cum suis, qui eum in integrum, si velit, restituent, in gratiam redire: non esse caussam, cur tantos spiritus, aut ex suis viribus, aut ex inanca hac Britannica dextella capiat. Si redditum cum suis in gratiam expetat, se reconciliationis & concordiae pactorem fore promittit, modò suam voluntatem ad communem caussam aggregare non nolit, atque ab adueniarum amicitia (qui ad vastandam, quām vincendam Hiberniam paratores sunt) se totum disiungat. Hoc si non fecerit, imò si non libenter celeriterque fecerit, collum suum in istos laqueos inferet, ex quibus se expedire, dum anima spirabit sua, frustra sperabit. Ut primum Dermicus, excussis internuntiorum vocibus, his legationibus, aperta animi despiciētia, illusit, & nuntios pluribus verbis male acceptos, dimisit (nam minax hæc & acerba legatio stomachum ei mouit) illi, ad Rothericum, omnibus rebus frustra tentatis, profecti, Dermicij responsum retulerunt: quo grauiter commotus, apud suos orationem habuit, cuius summa fuit: Multas & graues caussas vniuersos Hibēnos, ad depugnandum cum peregrinis istis, debere impellere. Nam cùm omnes, inquit, natura simus libertatis audi, quā fiat, vt defendere turpe sit, quam appetere est honestum; & qua frui iucundissimum est, pro ea non gloriosum sit propugnare? Ita enim viuere, vt tuo arbitratu non liceat viuere, nihil aliud est, quām in luctuosissimo omnium ærumnarum pistriño continuò mori. Iucundum est libertatis nomen, ipsa etiam res perbeata. Seruitus autem ab homine libero &

Altera Ro-  
therici legi-  
tio, ad Der-  
micium.

Quæ spreta  
& reiecta à  
Dermicio.

“ Oratio  
Rotheri-  
ci ad suos

“

“

“ Libera-  
tatis com-  
mendatio

“

“

“

“

“

In Dermicium in uectio. „ ingenuo nulla potest animi moderatione tolerari. Multis item verbis in Dermicum inuehebatur, eum importunum & impurum appellans propodium, omni vi-  
 tiorum foeditate turpificatum, rerum nouarum cupi-  
 dum, reipub. euersoreim, pluraque alia in cum maledi-  
 cta coniecit, quod hominibus inimicissimis, & Hiber-  
 norum genti perpetuo infestissimis se totum tradiderit.  
 In quo sanè, inquit, intemperatissimæ pecudis & impu-  
 dentiam detestari, & imprudentiam exsecrari compellor.  
 Quid enim imprudentius est, quam in adulterij fætore,  
 tamquam lutulentum suum in hara, volutari: cumque  
 regno suo, conspirante & conflato omnium consensu,  
 nudatus sit, perpetratum scelus non agnoscere? Spiritus  
 non remittere? Hibernicis principibus se non reconciliare?  
 Quid rursus imprudentius, quam ut nos luscios efficiat, geminos suos oculos effodere? Quasi verò regnum cum dignitate obtainere non posset, nisi se alienigenis daret? nisi nouos dominos ac tyrannos in patriam, improbissima ratione, compararet? nisi se & suos omnibus fortunis extirpare? nisi rempub. penitus deleret?  
 Sed perfuga hic, omnibus consiliis præceps ac deuius, quantam pestem posteritati importet, modò ipse, iam egestate ac scelere perditus, in horam viuat, flocci facit.  
 Mala que Hibernos ab Anglis maneant. „ Praesagit mihi, multum in posterum prouidenti, animus, vel potius ante oculos meos obuersatur, quantis inferiis posteri implicarentur, si iste libertatis exterminator, cum suo mutilato exercitu victoriam (quod deus omen obruat, perhorresco enim nomen) de nobis reportaret. Videor mihi videre, quam tyrannice in capite & fortunis omnium incolarum dominantur isti ac colae, si colla nostra in seruitutis laqueos iniicere possent.

Omnibus

Quam

Quām grande vestigia nostris prædiis imponerent? Quanti sectores, quot agripetæ in nostras fortunas imminerent? Quis sui iuris esset? Seruitus autem cùm in omni loco sit misera, tú in patria miserrima es. Quain obrem, fortissimi viri, ad patriam nostram conseruandam, totis viribus, incumbamus; huic patriæ proditori, inconsideratissima mente prædicto, dum in nostræ nationis faucibus & angustiis consistit, resistamus. Dermicum, pestem nobis molientem, nullis suis domesticis neruis communitum, sed imbecillo aduenarum exercitu armatum, opprimamus: portentuosum hunc partum in alio adhuc mobiliter palpitantem, armis abigamus, vel ipsam potius grauidam, & ad pariendam vicinam nouercam strangulemus. Facilius est, fibras, & surculos defringere, quām ramos, & truncos amputare, scintillulas etiam quām flammarum extinguere. Restinguemus autem, si magnum animum, virtute inque capiamus; si alienigenarum consiliis, adhuc immaturis, armis & præsidiis occurramus; si tela nostra in eorum pulmonibus figamus; postremò si fluxam morte in (modò ita fors tulerit) sempiternæ seruituti præferamus. Hæc ille. Ex altera parte Dermicus suorum militum animos confirmabat, dicens: Rothericum infaturabili regnandi cupiditate ardere, regum exagitatorem exsistere, alienos fundos castris & viribus petere, reipub. pacem, per eum vnum, distineri: illius exercitum non esse timendum, quandoquidem non tam militum multitudine, quām causæ honestate victoria comparatur. Cùm igitur, inquit, nobis non sit propositum, perniciosis te lis aliena euertere, sed salutaribus armis nostrâ defendere, non est, quod animos abiiciamus; quinetiam ea quæ

ad timo-

“ Adhorta-  
“ tio ad ro-  
“ bur & vir-  
“ tutem.

Oratio  
Dermi-  
cij, ad  
suos fir-  
mandos.  
In Rothe-  
ricum in-  
uestio.  
Causæ  
suæ equi-  
tas.

ad timorem ab hostibus proponuntur, contemnamus  
 at pro nihilo ducamus. Siquidem proprias possessio-  
 nes defendere, pro patrita & auita iurisdictione dimica-  
 re, semper viri fortissimi est habitum. Quamobrem,  
 commilitones fortissimi, cum pro nobis contra ambi-  
 tionem humilitas, contra tyrannidem lenitas, contra  
 iniuriam decerter æquitas; animos erigamus; omnem  
 metum propulsemus; maiorum virtutes memoria re-  
 plicemus; pro patriis foci, pro pristina dignitate, omni-  
 bus modis animi & corporis, pugnemus; cum libertate  
 potius cadamus, quam cum miseria exsulemus. Multa  
 etiam in eandem sententiam Stephanides dixit: Nihil  
 scilicet maius & gloriósius esse, quam afflictum Princi-  
 pem extollere; vi & impressione agitatum armis tegere;  
 regno naufragum in regno reponere, diadema nuda-  
 tum diademati restituere. Porro autem rem esse, &  
 caussam cō loci, vt, hodierno die, aut tota Hibernia illis  
 sit vincenda, aut tota Hibernia illis deferenda. Britan-  
 nos igitur suos cohortatur, qui maximis belli periculis  
 iamdiu perfuncti sunt, vt illis in memoriam veniat, par-  
 tium à Troianis, partim à Gallis populum Cambrensem  
 generatum esse, ex his vsum, ex illis bellandi vites hau-  
 fissee: non igitur, inquit, committamus, vt à maiorum  
 virtutibus turpiter degeneremus. Et plura item adiecit,  
 quæ in aliud tempus magis aptè reseruanda erant: siqui-  
 dem omnis hæc oratio ad nihilum recidebat. Nam  
 Rothericus, toto hoc interim spatio, per internum  
 vltò & citrò cursantes, certior factus, Dermicum ac  
 Stephanidem animi altitudinem, etiam metu oblato,  
 non inflectere, sed contrà, incredibili pugnandi studio  
 flagrare ( id enim ipsum quandoque est fortissimi im-

Roberti  
 ad Anglos  
 suos ora-  
 tinacula. "

Origo  
 Britano-  
 rum à  
 Troianis  
 & Gallis. "

peratoris

peratoris, fortissimum imperatorem hostibus, etiam re  
in extreum perducta, videri) fortunæ rotam pertimes-  
cere, & incertos ac ancipites belli euentus acri cogitatio-  
ne lustrare. Quare cautoribus consiliis vsus, desistit  
stomachari, nuntios ad Dermicium legat, qui composi-  
tionem ei, sedatiore animo, offerunt, sub ea conditione,  
vt Dermicius, pristino imperandi more, Lageniæ regno  
vtatur: atque vt Rothericus totius Hiberniæ præroga-  
tiuam sibi adsumat, eamque auctoritatem Dermicius  
agnoscat. Etsi verò Lageniæ princeps primarium hunc  
Rotherici dominatum, per quem, cum ceteris regulis se  
non pateretur æquari, molestissimè tulit, tamen satius  
esse duxit, inquis conditionibus pacem recipere, quām  
præliis, cum tam robusto exercitu temerè decertare. Vbi  
hac pacis pactione alter ad alterius conditionem descen-  
dit, ne in posterum tempus Dermicius in promissis flu-  
ctuaret, filium suum Cnothurnium Rotherico obsidem  
dedit, quorum connubium coniungere, insulæ bellis re-  
stinctis, pro filia sua Rothericus promittebat: addens,  
utriusque parti vtile fore, nouis affinitatibus veteres ini-  
micitias deponere. Cum ambo principes mutuo iure-  
iurando publicè fuerunt obstricti, Rothericus arcano  
Dermicium iussit, aut pacem vndique dirimere, aut pa-  
cem usquequaque conseruare: hoc est, cum omnia iam  
in integrum sint restituta, Britannicum exercitum di-  
mittere, atque ex prouincia sua omnes aduenas exter-  
minate. Huic conditioni Dermicius non tam liben-  
ter, vt fertur, assentiri voluit, quām pugnaciter repugna-  
re noluit. Ceterū ex animo, aut dolo malo ad  
istam pactionem venerit, solus ille cordium speculator  
nouit, à cuius adspectu abditæ, & penetrales humana-

Rothericus  
consilia sua  
ad pacem  
flectit.

Quām acci-  
cipit tandem  
Dermicius.

Obsidemq.  
filium dat.

Rothericus  
clām hortat  
Dermicium, vt Bri-  
tannos di-  
mittat.

rum cogitationum latebræ non oblitescunt. Simulac Dermicius & Stephanides ex his periculorum cotibus enauigarunt, non verisimile est, quantus ex gratissimo nuntio, ad eorum lœtitiam cumulus accesserit. Ecce enim tibi, Mauritius Giraldus, stipatus decem primariis equestris census viris, equitibus triginta, centum sagittariis ad opidum Guesfordiam appulit. Quò vt venit, Dermicius eius gratulationi se obtulit. Hic cùm duces, simul collecti, de omni ratione belli consilium habuissent, Lageniaæ princeps proclamauit, aduolandum Dublinium, vrbis muros machinis labefactandos, excindenda ædificia, ciues omni malo mactandos. Si quidem eius animus ea erat malevolentia in Dublinenses suffusus, vt non tam victoriae, quàm vindictæ incendio flagrarit. Interea Robertus in loco, Guesfordiaæ citimo, quæ vulgò Karrekia dicitur, remansit, vbi in municipio ædificando cuius iam tum fundamenta iecerat, totus fuit occupatus. Quare distentus his castellaniis negotiis, Britannicas copias permisitè cum regiis coniunxit, atque pro se Giraldum fratrem, alterum se, exercitui substituit. Vix ex primo die, quo rex & Giraldus apud Dublinij muros castræ fecerunt, ad decimam lucem in obsidione hæfere, cùm finitimæ vndique vicinitatis incolæ, hostium fortuna & potentia commoti, se in regis partes dederint. Neque enim castrorum disturbancem, omnium rerum spoliationem, frustra resistendo, ferre diutius poterant. Ciues etiam Dublinenses ad defensionem minus firmi, vbi omnia principi ex animi sententia suppetere vident, armis positis, se ad auctoritatem regis conferunt, deprecatores legant, qui à principe, quibus modis possunt, pacem, & veniam petant.

Mauritius  
Giraldus in  
Hiberniam  
venit.

Dermicius  
excidio Du-  
bliniensem  
immunet.

Dublinenses  
fidei eius se  
permittunt.

tant. Quorum summissis precibus, & Giraldi præcipue persuasu ac inductu, Dermicius placidus mollisque redditur. Vrbē itaque, obsidibus à ciuibus acceptis, obfessione liberauit. In hac item oppugnatione Robertus Barrensis, & Meilerius tantis periculis corpora obiecerunt, ut suminam rerum gestarum non modò commendationem, sed etiam admirationem fuerint consecuti. Sub idem tempus grauis & acerba contentio inter Rothericum, Connaciæ regem, & Duuenaldum, Limmerici præfectum, orta fuit, quæ eorum animos ad pestiferum bellum faciendum incitauit. Rothericus magno equitatu ad expeditionem istam imperato, infesta signa Duuenaldi territoriis infert; agros exhaustat, & vastat, prædas ad suum usum reseruat. Verùm ubi huius rei fama emanauit, Dermicius, per litteras Stephanidem obsecrabat, ad opem præsidiumque Duuenaldi generi sui, quām primū concurrere. Stephanides, regis rogatu, cum equitatu satis idoneo Cōnactensium viribus se interposuit, quorum audaciam debilitauit, conatus reprefit, omnem bellīflammam sedauit. Per hos dies vixit mulier quædam in Duuenaldi aula, portenti atq. monstri simillima. Præterquam enim quod toto fuit corpore pilosa, longam habuit & proceram barbam, à mento ad umbilicum, cum intuentium stupore, extentam. Dermicius, post Lageniam bello domitam, in antiquum statum restitutus, omnia sibi pulcherrimè procedere prospiciens, cœpit in hac mente & cogitatione versari, nullum præclarum facinus ad existimationem suam imagis pertinere, quām ut imperium suum, nactus amplam occasionem, latius dilataret. Quamobrem nihil ei deliberatus erat, quām totam in primis Connaciam

Bellum inter  
Rothericum  
& Duuenaldum.

Duuenaldū  
Angli adiu-  
uant.

Monstrosa  
mulier.

Dermicius  
animum ad  
Hiberniæ  
imperium  
adicit.

sub ius, & imperium suum subiungere, tum deinde reliquas Hiberniae prouincias in suam potestate redigere. Fœdus, quo fidem suam antè Rotherico obligauit, eius animum legibus frænare, & à tam fœda cogitatione reuocare debuerat. Verùm huius pactionis memoria, in mente dominatus facibus incensa, minimè insidebat. Ex quo intelligi potest, nihil esse tam sanctum, neque tanta iureiurandi religione stabilitum, quod non inordinata ambitio pollueat, atque violare valeat. Vbi huius instituti rationem cum Stephanide atque Giraldo communicauit, illi principis consilium, & pleniore manu laudare, & multis etiam argumentis confirmare. Ceterū pro eo quòd magnum opus & arduum videbatur, vniuersam insulam, bellicosis viris refertam, sine maximis dimicationibus, subigere: vicinos Hibernos neque laceffendos bello, neque tentandos, sed hoc eius propositum eò vsque tacitum tenendum indicabant, quoad plures auxiliarios milites ex Anglia sibi adsciscat, & se nouis copiis ac supplementis renouet. Approbat consiliū rex, eos maximopere rogat, plures ex Britannia commilitones, omnibus quibus possunt inuitamentis, ad eius auxilium allectare. Atq. vt eorum animos, ac ribus industriae stimulis, concitet, alterum collocatione filiæ obstringere, alterū nobilissimis prædiis ditare, benignissimè adpromittit. Sed Stephanides & Giraldus, anticipatis nuptiis alligati, ad istam conditionem venire non poterāt.

Verùm post magnas ac difficiles deliberationes, utrius duci optimum factu videbatur, cum Richardo Strangboo, quicū Bristolli antè Dermicius de reductione sua egit, instituti sui consilia consociare, atq. hæc magna præmia comitis præsentie proponere. Strangboū, si eum

Consilia cum  
Anglicanis  
proceribus  
confert.

Et Angli plu-  
res ex Britan-  
nia aduocan-  
tur.

Richardus  
Strangbous  
item adiun-  
gitur.

si eum Dermicius litteris prolectet, velle, & si velit, posse, ceteras insulæ prouincias ad Lageniensis imperij vectigalia adiungere. De eorum fidelitate, consilio, vigilancia non dubitandum dicebant, cum omnes curas, ad regis dignitatem, quamdiu spiritu viuerent, tuendam & amplificandam, conferre iamdudum, optima fide, statuerint. Horum consilium secutus princeps, epistolam bene ponderosam ad Strangboum scripsit: in qua, de promissione auxilij retardata, cum illo familiariter expostulauit, eoque magis, quod tam diuturnæ procrastinatio-  
nis rationem, vnis litteris, minimè reddiderit. Illud etiam in epistolam coniecit, se linum incidisse, in regno esse, ab omni bello, magnis rebus gestis, conquiescere: Stephanidem & Giraldum, propter quos triumphat, omnem illi fidem, & diligentiam, gratissimis animis, praestare. Ast cum tam quieto exitu victoriam non du-  
cat concludendam, ceteros Hibernos principes, qui eum acerbè ac penitus oderunt, atque inclusum odium, cum iam olim in turbidis rebus esset, in illum effuderunt, omnibus praesidiis oppugnare, atque adeò expugnare, pro-sus statutum ac deliberatum habere. Quod si Strangbous suas copias & vires, ad hoc negotium confiendum deferat, reliquas quatuor dissolutas diuulsas-  
que insulæ partes, eiusdem principatus societate, absque acerbis & diuturnis bellis, constringi posse confirmavit. Quare, inquit, cum satis sit, virum præstantem, cuius ut nobilitas est summa, ita existimatio est integra, promissi sui semel admonete: reliquum est, ut fidem tuam, qua nitor, serues; ut me, quem perditum defendere promiseras, iam florentem ornare matures, postremò ut filiam meam, & vxorem tuam inuisas. Verum quoquo

Dermicij ad  
eum epitoia

Strangbous  
accipit con-  
ditionem.

In primis  
etiam annis

A rege Hen-  
rico veniam  
petit.

Et impetrat.

tempore venies, mihi ac propinquis tuis gratissimus exspectatissimusque venies. Posteaquam Strangbous regias litteras, ex quibus maximam cepit laetitiam (erant enim erga ipsum plenæ suauissimi studij) semel atque iterum regustauit, in hoc vno omnem curam & diligentiam, noctes diesque posuit, quibus modis & fidem retinere, & belli adiumenta amicissimo principi subministrare posset: eoque celerius aliquid suscipiendum iudicauit, quòd apud Henricum regem, vt antè posui, magna ac diuturna fuerit in offensa. Etsi verò omnem suum conatum, impulsus summi officij ratione, ad Henrici benevolentiam aucupandam comparabat, tamen inuidorum suorum sermunculis, quos fictè & simulatè in regias aures infusurabant, effectum erat, vt nullæ preces eum, vlla apud principem auctoritate gratiaue, constituerent possent. Quam quidem alienati animi & offensi indignationem è immoderatus Richardus ferebat, quòd ab omni culpa omnino abesset, & de rege (in quem eximio semper animo erat) omnia egregia ac præclara sentiret. Tandem ad Henricum accedit, precibus ab eo suppliciter petit, vel vt ei pristinam maiorum suorum hereditatem reddat, vel vt eum, in exteris nationibus, fortunæ periculum facere permittat. Hic Henricus, in stomacho ridens, hui, quò aut quā, inquit, vagaberis, per me tibi licebit, in ultimas terras, tanquam pinnatus Dædalus peruolare. Hoc verò cum ea dissimulantia, atque ludificatione dixit, vt vultuosum subridentis os facile Strangbous intueretur. Ast opportunitatem hanc, quam Henricus subobscura licentia ridiculè obtulit, Strangbous aperta audacia celerimè arripuit, atque consanguineum suum, Reimundum Giraldum, cuius auun-

culi

culi Stephanides & Mauritius Giraldus erant, in Hiberniam ad Maias calendas præmisit. Habuit sub signis Reimundus denum numerum equestris ordinis militum, & septuaginta sagittarios. Is erat ita nobilis & bellicosus iuuenis, vt difficulter scires, utrum nobilitas fortitudine, an virtus familia illustraretur. Reimundus itaque secundis ventis, delatus est ex Cambria in quandam crepidinem, quæ plebeio sermone, Dundenolfia, nuncupatur. Hic locus tenui discrimine ab urbe Waterfordia separatur: quattuor enim millearia numerantur. Inibi milites tabernacula, ex virgultis ædificata, habere dolare robora, quorum paxillis, altisque fossis præsidia undequaque firmare, & locum ex quolibet aditu claudere. Ut omnium sermone nuntiatum fuit, plures adhuc etiam inquilinos in Hiberniam venisse, Waterfordiae ciues, adhibitis in consilium urbis decurionibus, quorum princeps erat Machlathelinus Ophellanus, parvum illam Britannorum manum, dum adhuc, maris fluctibus agitati, ventisque circumflati, in caueis naufragiant, præproperis & repentinis armis extinguidam designant. Quorum deliberationi non multum temporis accessit, cum tria millia Waterfordiensium, ad Britannorum disperditionem, in agros coarceruatim aduolarint. Prius vero quam ciues iter versus hostium castra arripuerunt, Herueius de monte Mauriseo, qui non procul iam tum à Britannis absfuit, tribus tantum manipularibus stipatus, Reimundum salutandi causam inuisit. Vnde effectum est, ut in totam negotij flammatum casu venerit. Nam Waterfordenses interim flumen transgressi Suirensse, quod Desmoniam à Lagenia, in Oriente, discriminat, ad Britannica castra certatiū concur-

Copie in  
hanc expedi-  
tionem,  
Reimundo  
duce.

Appellunt in  
Hiberniam.

Waterfor-  
denses An-  
glos aggre-  
diuntur.

Angli eos  
strenue exci-  
piunt.

concurrunt, nullo prælij metu perterriti, sed spe triumphi elati; nam illos non præteriit, quid militum alienigenæ habuerunt. Reimundus & Herueius subito ad arma excitati, suos ad pugnandum admodum viriliter acuunt. Verùm in castris nolunt consistere, sed per ligneum ponticulum, in angustissima semita infixum, proripiunt se à tabernaculis, & in acres dimicationes corpora obiiciunt. Vbi verò tantas hostium copias & impetum excipere non possunt, se ex Waterfordiensium ferro non incautè eripiunt, ad castra recurrent, præsidia, integerimis viribus, tutantur. Britannica tergiuersatio falsam Waterfordensibus spem ostendit; magnis animis, & erectis sunt, fugientes telis & clamoribus persequuntur. Reimundus in præsidiorum limine armatus stetit, & municipem, ad audendum proiectum (nam in castrorum ingressione pedem ponere, & se in medios hostes desperanter obiicere conabatur) districto gladio iugulauit. Illius interitus celeritate persequendi retardat, & omnem ferè victoriæ spem perturbat. Hic tamen casus aliquantum animi Britannis adfert. Se fortiter erigunt, cum ciuibus iterūm, in agris, ferrum ac manus conserunt. Anceps sanè, & admodum incerta fuit vtriusque partis victoria. Nam licet Waterfordenses numero hostes incredibiliter vicerint, tamen Britannici sagittarij, miserandum in modum, inermos sauciabantur. Duarum horarum spatio pugnabatur, cùm victoria in Britannorum partes sensim propendebat. Nam municipes ferratis sagittis vulnerati, & ab equitibus conculcati, locum diutius tenere nolunt: arma de manibus tremebundis fluunt: multi, in ipso dimicantis ardore, timore prolabuntur, alij se fugæ præpetes dant.

Hic

Waterfordi-  
enses tādem  
vincuntur.

Hic Britanni, lætitia elati, grauius in fractos & fugatos hostes incumbunt, ex cordes, incitat o cursu, in sequuntur, & valde calamitosas strages faciunt. Quos autem à tergo iaculis non perfodiunt, è rupibus, & editis faxetis in mare præcipites volubiliter impellunt. Ne multa: tanto sanguine hæc victoria redundabat, vt ex ciuibus solùm septuaginta, quorum maior pars sumimum locum ciuitatis tenebant, viui caperentur. Inter Britanos solùm desideratus est Gulielmus Ferrandus, qui corpus & vitam suam hostium telis bene viriliter obiecit. In hunc totus exercitus, multis nominibus, valde carè animatus erat. Iuuenis fuit carne strigosior, corde valentissimus bellator, naturâ lenis, & percomis, ita amicorum, & patriæ amplitudini addictus, vt eum cum gratia vixisse, & cum gloria cecidisse omnes uno ore prædicarent. Credo ego, nec iniuria, lectorem hîc mirari, tantam multitudinem hominum ab ista paucitate militum occisam esse. Nam vt deimus, quod est dandum, Britanos istos animi & corporis robore præstabiles fuisse, tamen verisimillimum esset, à tribus hominum millibus, si nuda tantum corpora hostium gladiis offerrent, atque cum colu & lana in aciem dimicationemque venirent, extenuatissimas copolas opprimi, vinci, obrui facillimè potuisse. Verum præliorum eventus ex numinis maiestate, non humanis neruulis pendent. Ast quām intemperanter victoria hoc Britanni sint abusi, operæ pretium erit explicare. Cūm igitur, confecta victoria, ad castra reuerterentur, longa & difficulti deliberatione, quid de captiuis esset statuendum, inter se commentabantur. Nam à nonnullis hoc pugnabatur, captiuos nullo pretio reddendos, sed omnes in

Strages &  
cedes eorum  
magno.

E Britonis  
vnu cecidit.

Deliberatio  
de captiuis  
intet Anglos

vinculis necandoſ eſſe. Nitebantur contrà alij. Horum primus Reimundus (vt erat hominis, in rerum potesta- te, modus) vbi rem in consultationem coniuci vidit, mi- lites ad clementiam cohortatus, hos apud eos ferme- nes habuit.

Reimundi  
oratio, pro  
ſalute cap-  
tiuorum.

Egregij commilitones, in quorum animis, & rebus gestis, ita virtus non fortuna luſtatur, vt, vtrum fortior, an felicior vnuſquisque vestrūm ſit, haud facile valeam explicare; tantam ſumus, hodierno die, victoriā conſecuti, quantam antè de nobis iſpis numquam prædica- re, & de quo uis alio nusquam commemorare potuimus. Verū in exſpectatam hanc victoriā ita mollitudine & facilitate debemus vincere, vt eam non nostris viri- bus, non hostium imbecillitatī, non fortunā temeritati, ſed totam diuinā clementiā (quae omnis victoriā pa- rens eſt, & effectrix) acceptam referamus. Quamobrem vt gratuia eius erga nos merita, grato animo, persequa- imur, nefas eſſe arbitror, tanta diuinitatis gratia, ad ex- traordinariam ferocitatem, immoderatē ac intemperatē abuti. Habemus hīc captiuos, quaſi compedibus irre- titos, dices, hostes: verū homines. Hostes in pugna, homines in victoria. Fortis autem viri eſt, & alta ſuf- picientis, eos qui pugnas & ſtrages edunt, hostes ducere, qui verò fracti & vieti ſunt, homines putare; vt poſſit belli incendium corporis firmitas reſtinguere, inſolen- tem autem victoriā animi virtus temperare. Quan- doquidem in maiore laude ponendum eſt, ſubactos conſeruare, quām repugnantes ſuperare: quoniam hoc communi præliorum Marti, illud singulari vniuſ cuiusque virtuti eſt adſcribendum. Hoc vno togati præſtant vel maximē armatis, quod corum conſilia plerumque misericor

misericordia & mansuetudinis sint socia. Quamob-  
rem diuinum quoddam mihi videtur adeptus is miles,  
qui, qua virtute togati armatis præstant, ea in virtute  
togatis ipsis antecellat. Siquidem nihil habet aut im-  
peratoris potestas maius, aut bellatoris voluntas me-  
lius, quam ut quos in acie trucidare valuit, eosdem post  
aciem conseruare velit. Ut enim bellatoris honor est  
victoria, sic ipsis victoriae laurca est clementia. Hinc  
maiores nostri, quibus diuina maiestas sanctam, & pro-  
pitiam mentem iniecit, ad hoc in primis consilia sua re-  
ferebant, ut captiuorum & precibus placati, & præmiis  
satiati, eos incolumes domum reducerent, ne de vita, sed  
de victoria contendere viderentur. Etenim mauult om-  
nis bonus, & misericors miles commemorari, se, cum  
victos trucidare potuerit, victis temperasse, quam cum  
temperare potuerit, trucidasse. Hinc ad maiores nostros  
(quorum in præliis fortitudinem hostes, clementiam  
victi sunt experti) dignitas confluxit, hinc imperij sui fi-  
nes propagarunt, hinc crudelitatis infamiam effugerunt,  
hinc hostium non modò corpora armis, sed etiam cor-  
da lentitudine deuicerunt. Nam ut atrocitas in perden-  
do odium procreare, sic lenitas in parcendo beneuolen-  
tiam comparare solet. Quamobrem & captiuorum  
misera conditio, & maiorum nostrorum laudabilis con-  
suetudo me potissimum in hanc sententiam ducit, no-  
bis multò commodius, & ad famæ propugnationem  
longè præstantius fore, ut potius Waterfordienses cap-  
tos suos ciues, grandi pecunia, è vinculis redimant, quam  
ut nos ob eorum interitum ferinæ immanitatis famam  
subeamus. Et quoniam hominibus impotenti animo  
præditis, ac secundis rebus, præter exspectationem, ef-

» frænatis aliorum calamitates ut plurimum fastidiis ad-  
 » hærescunt, ne nos etiam in eandem intemperantiam of-  
 » fendamus, in memoriam, quæso à vobis, reducamus,  
 » quibuscum hominibus bellum suscepimus: neque enim  
 » latronibus, archipiratis, aut patriæ patricidis, sed nini-  
 » rum reipub. defensoribus bellum indiximus. Quod si  
 » ratio intelligentes, necessitas otiosos, natura vniuersos, vt  
 » vim vi repellant, ad præsidia compellat; decētne, eorum  
 » sanguinem atrociter helluari, quos decet pro patria, &  
 » præcipue in patria, se morti offerre? Nihil quidem cer-  
 » tè minus. Quare cùm nobis sit propositum, non quis  
 » viuat, sed quis vincat, armis decertare: habeat in animis  
 » nostris locum potius lenitas ad clementiam, quam cru-  
 » delitas ad cædem: præsertim cùm tanta pecuniae mag-  
 » nitudo, & militibus multum prodesse, & victoriæ pa-  
 » rum obesse videatur.

Vix Reimundus caussam perorabat, cùm grata com-  
 militonū admiratio sequeretur. Verùm Herueius,  
 atrocitate animi motus, militum mucrones, vi & acrimo-  
 nia dicendi, in captiuos exacuit, & Reimundo, ad  
 hunc modum, obloquitur.

Contraria  
 & incle-  
 mens  
 Herueij  
 oratio.

» Nisi mihi, contubernales fortissimi, propinquus  
 » meus Reimundus de facie notus esset, æditium, nescio  
 » quem, militari specie ac forma inuolutum, oculos meos  
 » præstrinxisse, pro certo iudicarem. Etenim ante hodier-  
 » num diem, adduci ad credendum, nullo modo, potui,  
 » hominem sanguine imbutum, vel potius madefactum,  
 » de caritate in belli præsertim furore, ad theologorum  
 » consuetudinem disputare voluisse. Verùm si Reimun-  
 » dus adeò ad misericordiam propensus sit, vt sempiter-  
 » nos nationis nostræ inimicos, inò vero hostes in clien-  
 telam

telam suam recipiat, nequeo satis mirari, quam ob caus.  
sam imoderatus ac misericors vir ad saga iuit? Cur pe-  
dem patria extulit? Cur pius patronus bellum cum  
clientibus gessit? Ad quid effrenatus in eorum aciem,  
in quos tam ambitiosus factus est, erupit? Miror, quid  
causae fuerit, quare mucronem suum in ciuum præcor-  
diis fixit. Hæc enim inter se pugnant, in hostium cæde  
versari, & hostibus vitam dare, Hiberniam expugnare,  
& resistentes Hibernos sinu recipere. Simus scilicet, in  
animorum & armorum incendio, teneri, & molles; pa-  
cem cum hostibus faciamus; omnem exstinguamus dis-  
fensionem; contrahamus appetitus; commigremus, vt  
pote otiosi & monogrammi contemplatores, in patriam,  
nutricum manimas, velut infantes pueri in cunis va-  
gientes, appetamus, hominis figura stupiditatem asini  
geramus; postremò caueamus, ne violentas manus, non  
dico, hostibus, sed pullo columbino inferamus. Qua  
(malū) ex disciplina militibus hæc anilis deliratio est?  
Num ad hunc modum, mi Reimunde, cùm præliari  
debes, philosophari doces? Et quem ferum, ac ferreum  
esse debet, muliebrem & eneruatum te præstabis? Ad  
cælestium rerum speculatorum sic agi solet. Sis mitis,  
sis lenis, iracundos animi motus reprime, noli te vlcisci  
lacestitus, tracta eum clementer, à quo crudeliter tracta-  
ris; ei, qui gladium tuo sanguine imbuit, tuam miseri-  
cordiam tribue, illius vitam caram habe, qui tuam mor-  
tem sitione appetit. Quò, amabo te, hæc spectat sen-  
tentia? Ferueat talis vox in templorum suggestis, fri-  
geat in castris, cùm ea nec militis, nec ad milites sit o-  
ratio. Excute, Reimunde, intelligentiam tuam, pun-  
ctum temporis. Defige te in suribundi hominis cogi-  
tatione:

tatione: hostium diritatem, & nocentissimam victoriā tibi ante oculos propone. Quid si iſti prælium secundum fecissent? Quid si nos captos, & comprehensos tenerent? Quid? Num pugnarum exitu victoriā concluderent? Quid? Num salutem, quam nunc vieti à victoribus poscunt, tunc victores vieti darent? Quid? Num Britannos, pristinam pretio mercari libertatem, crudelitate imbuti, permitterent? Imo vero, Reimunde, partim tuorum diuari, partim excarnificari, eorumque membra, tanquam in macello frusta, incisim dilaniari videres. At vendere cum possis, captiuum occidere noli: rationem reddis: quia grande pondus argenti magno militib[us] erit usui. Sapienter id quidem; si negotiandi, non bellandi causa huc te contuleris. At verò augustissimi animi est, in bello, in quo gloriam & dignitatem spectare debes, raudusculo, instar sordidi toculionis, incubare. Noli igitur superstiosam hanc philosophiam militum auribus inculcare: quin potius effeminatas has ineptias deponis, & insitam tuam humilitatem ad tempus abiicis. Quantum enim miles amittit ex vindicta, tantum detrahit de victoria. Clementer aliquid facere, in religioso parocho fortassis aliquid, in milite quidem nihil habet laudis. Via enim seueritatis eiusmodi esse debet, bellicis in rebus, ut nihil sit loci misericordiæ. Vos autem, valentissimi milites, nolite ad eam clementiam muliebriter adduci, quæ militarem licentiam coercet, quæ arma è manibus vestris extorquet. Ista ipsa mortis poena, quam nobis hostes constituerunt, in truculentos autores recidat. Unius semihoræ usuram hostibus nolite dare. Cæsi non ultra belligerabunt. Hostem non solùm pugnantem, sed etiam

etiam victum, vincitumque tollendum ac interficien-  
dum, censeo, decerno, impero. Nulla foedior ignomi-  
niæ nota militibus inuri potest, quam in rebus seriis  
pueriliter tricari, & quos ex omni memoria cuellere de-  
bent, eis inimicitias condonare.

Hæc Herueij oratio, si non artis sale perspersa, saltem  
Martis ardore incensa, milites ad crudelitatem acuit.  
Finem itaque, & modum transeuntes, captiuos omnes  
ad vnum occisione occiderunt, contra dicente, & nihil  
proficiente Reimundo. Quorum lethum tantum do-  
lorem, seu potius mærorem Waterfordiæ dabat, ut acer-  
bissimus, tota vrbe, lessus & luctus versaretur. Ex quo  
tempore Herueius graui diuturnaque infamia & inui-  
dia flagravit: cum nemo repertus esset, cui non ista ci-  
uium internecio prorsus displiceret. Sed nihil plerum-  
que est tam insolens, & immisericors, quam ex mendici-  
culo fortunatus.

Captivi  
omnes ne-  
cantur.

Cum magna  
& iusta inui-  
dia Herucij.

## RICHAR-

RICHARDI STANIHVRSTI  
 DVBLINIENSIS DE REBUS IN  
 HIBERNIA GESTIS,  
 LIBER TERTIVS.



Is rebus, propter Waterfordiam, inconsideratè ac temerè gestis: Richardus Strangbous, posteaquam diligentem præparationem in re militari adhucuit, ex opido Milfurdico soluens, in Waterfordiæ portum, ante diem nonum calend. Septemb. usus felicitate nauigandi, se coniecit. Habuit sub signis ducentos milites primarios, inferioris ordinis mille: quos ex præcipua totius Meneniaci iuuentute, magna conquisitos cura, elegit. Vna, aut altera nox intercessit, cum Britannicus exercitus, probè instructus & armatus, signa sustulit, & ad urbis mœnia, ordinem militarem tenens, peruenit. Superstites ciues, in his reipub. parietinis, dupliciter ad diamicandum incendebantur: primum, ut hostes ab urbe arcerent, tum deinde, ut in præsenti Britannorum strage præteritam captiuorum cædem, totis, quoad eius fieri possit, viribus vindicarent. Necdum enim Britannicæ crudelitatis memoriam, cum esset recentissima, abiecerunt. Britanni tandem pugnaciter insistunt, ciues contra eos, summa vi, impetuque contendunt, & à mœnibus acriter propulsant. Nam bis coacti sunt alienigenæ, lapidibus appetiti, & vi pulsæ, nec quidem æquo animo, auersari. Tum demum, circumspectis locis omnibus, suburbanam casam Britanni adspectant, ad urbis mœnia adhæ-

Strangbous  
eum copiis  
Hiberniam  
appellit.

Is opidum  
ipsum Wa-  
terfordiense  
aggreditur.

adhærescentem, quam vnuſ ſolummodo poſtis obtentat. Eo columine ferrula circumſecato, tugurium, cum non parua muri particula, labat. Britanni ad ruinam, ſatis decumanam, conuolant: nouum oppugnationis genus pertinaciter inferunt: baliftis & mililibus ciues vehementiſſimè fauiant. Ad manus atq. ad pugnare res venit. Oppugnatoribus, impulſu ſcutorum irrum-  
 pentibus, obſiſti non potest, licet caedes lapidationeſ-  
 que fiant, quo minus in vrbem intrent. Rēſiſtentēſ tru-  
 cidaſ, tecta diſturbant, ædes exſpoliant, ciuitatis princi-  
 pes capiunt, in quoruim numero Raganaldus, & Mach-  
 lathelinus Ophelanus reputantur: quos omnes Strang-  
 bous communi luce priuafſet, niſi Dermicius, Lageniæ  
 regulus, qui, audito Comitis aduentu, cum Mauritio  
 Giraldo, Roberto Stephanide, ac Reimundo Giraldo,  
 ad vrbem Waterfordiam accessit, eorum vitam à victo-  
 re eſſet deprecatus. Hic Strangbous Dermicij filiam, cui  
 Eua nomen fuit, in mattimonium duxit. Socer gene-  
 rum & filiam (vt promiſſi ſui ſummam compleret) re-  
 gno ſuo heredes iuſtituit. Nuptiis, matrimonij digni-  
 tate, regiè magnificeque coniunctis, & firmo præſidio,  
 in vrbē, poſito, Dermicius ac gener, quām poſſunt ma-  
 ximiſ itineribus, prope Dublinium exercitum ducunt.  
 Is (vt antè eſt dictum) à Dubliniensiſbus vehementer  
 abalienatus erat. Ex hoc autem ſeminatio odium of-  
 fenſioque ortum habuit. Cūm Murchardus, Dermi-  
 cij pater, Lageniam plurimiſ iniuriis laſiſſet, & præ om-  
 nibus, Dublinij ciues nimis tragicè vexaſſet, multum  
 odij inuidiaque fuſceperat. Dublinij decuriones pe-  
 stem & necem, conſenſu conſpirante, in principem ma-  
 chinati, eum ad magnificas ædes, colligendi ſui gratia,

Et tandem  
expugnat.

Strangbous  
Dermicij fi-  
liam, nuptiis  
ſibi iungit.

Inde omnes  
iunctim ad  
Dublinium  
obſidendum  
properauit.

Cauſa odij  
Dermicio in  
id opidum.

O officio-

officiosisissimis inuitamentis, perduxere. Atque ex hac extraordinaria inuitatione nihil suspicionis Murchardus elicere potuit, pro eo quod antea basilicam istam creberimè frequentauit. Cum igitur in hemicyclo hilarulus sessitaret, varioque lepore animum relaxaret; proditores, qui principem circumstabant, eius iugulum subito petere, & pugiunculis, vagina vacuis, eum perfodere. Neque verò hic furori suo tyrannoctoni finem impone, sed occisum, in contemptissimo sepulcro, vna cum cane sepelire. Acerba tanti dedecoris infamia Dermicum implacabili odio flagrantem effecit. Etsi verò, in prima obsidione, quandam concordiam, Mauritij Giraldi hortatu, cum ciuibus confirmauit; tamen hæc tota placabilitas ad eam crudelitatem collecta fuit, ut non tam pacem facere, quam bellum differre secum statuerit. Vbi itaque Dublinenses se rursus hostibus circumfessos vident, temporis difficultate adducti, à Laurentio, ciuitatis Archiepiscopo, antistite rebus omnibus præcellentissimo, enixè contendunt, ad castra exire, & eos, quanta possit diligentia, regi placare. Eorum legata, officij & summissionis plena, ad principem detulit pontifex: eos præteritæ perduellionis pœnitere; ad illius misericordiam confugere; urbem illi clausam non esse; quidquid verbis rogauerit, sine armis, si velit, posse impetrare. Verum tanta surditas Dermicij aures obtutabat, ut omnes gratiæ & clementiæ aditus ciuibus durus & ferreus princeps præcluderet. Etenim eo spatio quo pontifex pro obsessis intercessit, Reimundus Giraldus, & Milo, cognomento Coganus, qui magnum in re militari nomen habuit, cum acerrimis militibus, ac piædæ cupiditate inflammatis, ciues à fronte, à tergo, dextrâ,

Cædes Mur-  
chardii.

Laurentius  
antistes pro  
ciuibus in-  
tercedit.

Inter collo-  
quium, urbs  
capta.

dextrà, sinistrà aggressi, signa cum illis contulerunt, & valuis effractis, multorumque strage edita, yrbeum occuparunt. Magna tamen municipum multitudo, cum principe Hasthulpho, in fugam se dedit, & sumtis cymbis ad aquilonates insulæ oras, cum re familiari, nauigauit. Nonnullos insequentis victoris celeritas vrinari compulit, qui fluminis gurgite obruti, cum enare non valuerint, è vita migrarunt. Cruenta hæc victoria regem omni gaudio compleuit & affecit, qua tamen minimè satiatus, vt primum rem militarem in vrbe collocavit, atque Milonem Coganum ciuitatis præfectum reliquit, exercitum ad Mediam adduxit, vti Ororicium, hostem sempiternum, cuius iam olim vxorem raptaverat, repentinis armis oppriimeret. Castella, parum imunita, improviso aduentu, Britanni capiunt, Ororicij copolas vexant, magnam vndique vastitatem efficiunt. Hæc perturbatio, & rerum omnium confusio Rotherici aures inœstis sermonibus referit. Quamobrem vt his excursionibus aditum celerrimè intercluderet, & hominis exsultantis audaciam frangeret, vnum ex suis ad Dermicium legauit. Cuius legationis sententia erat, Lageniæ principem pactiones rescidisse, quod, contra impositam fidem exterios sicarios in insulam ascierit, se se regionibus imperij sui non continuerit, sed cum finitimis principibus quiescentibus bellauerit. Quod si iurandum, quo religiosissimè adstrictus est, nihil apud eum momenti habere videatur, me mininerit saltem, filium suum obsidem esse, illo pignore se illigatum teneri, Rothericum in eum vitæ & necis potestate habere. Proinde desinat, omniuagi ac foedifragi plani perfidiam imitari, & vicinos Hiberniæ regulos, contra p-

Dermicus  
Medium in-  
greditur &  
agreditur.

Rotherici le-  
gatio ad Der-  
micium,

ctionem foederis, vltro vltro lacessere, ne forte Britan-  
nis suis negotium, imò periculum facessatur. Dermi-  
cius, simul vehemens hæc & imperatoria legatio per-  
cius aures percurrebat, spumas in ore agere, omni gene-  
re conuitiorum exardere, nec Rothericum Dermicij tu-  
torem, nec Dermicum Rotherici pupillum esse. Se am-  
bitiosam hanc Rotherici superlationem, qua tyranni-  
dem occupare, animo connititur, non agnosceret: per-  
inde ac si nemini, in Hibernia, aut progredi liceat, aut  
regredi libeat, nisi prius Rotherico, omni blandiloquen-  
tia, supplicauerit, nisi ille viatori definiat, quò gradiatur?  
Quis, inquit, illum finitorem? Quis castrorum meta-  
torem? Quis alieni negotij procuratorem constituit?  
Imperium meum in culum, scilicet, insuet? Quid? Ius  
meum persequi per eum non licebit? in quam partem  
meas res gestas, & gerendas accipiat, minimè labore.  
De ridiculis minis, puerilem lenitatem redolentibus,  
susque deque. Deliberatum mihi, & constitutum est,  
dirumpatur licet Rothericus, imperium meum non La-  
geniae finibus, sed Hiberniae terminis definire, de quo,  
& pro quo decertare volo, quandoquidem primas, imò  
omnes insulæ partes patris, aui, proaui iure mihi vindic-  
care possum. Iuris mentio necessariò hic facienda erat.  
Etenim nihil est, adeò perspicue à legibus interdictum,  
quod ab homine, à legibus recedente, & inexplebili  
ambitionis siti ardente, ementiti iuris pigmentis non fa-  
cile coloretur. Nuntius legationem renuntiauit. Rothe-  
ricus hanc responsi contumaciam non tulit, sed furenter  
iratus, in ipsa iracundia flamma, quæ rationi, ac con-  
silio semper iniuncta est, Dermicij filium morte mul-  
ctauit. In his extremis reip. temporibus, pontifices &

Qua valde  
ille offensus.

Ius iniustū,  
quod sibi  
vindicat  
Dermicius  
in totam Hi-  
berniam.

Obris Der-  
micij filius  
accatur.

alij

alij antistites concilium Armachiae celebratunt, in quo, cùm variis, concertationumque plenis coniecturis, de inquilinorum aduentu esset disputatum: tandem communis assensu, & concilij approbatione explicatum erat, diuinam maiestatem, quæ omnium flagitiorum vtrix est, Hibernos, merito atque optimo iure, punire; quod cùm generatim multis essent vitiis cooperati, tum verò hoc scelere speciatim obstricti, quod à vñalitiis, man-gonibus, atque etiam piratis captiuos Britannos emerent, & eos passim in catastis, tanquam in nundinis pe-cudes, vñnales haberent. Quæ omnia iam nunc in contrariam partem versata, ac mutata sunt. Ante ho-diernum diem Hibernos saepius Britannis molestos ac infestos fuisse, at Hibernos breui, nisi eos deus respexerit, in Britannorum potestatem peruenturos. Quam-obrem concilij consensu decernitur, ut singuli seruorum domini, atque iniqui plagiarij Britannos per totam Insulam sine villa recusatione, manumittant. Dum hæc in Hibernia geruntur, constante fama, & omnium ser-mone, in Anglia celebratur, Strangboum, cum suo Bri-tannico sodalitio, Hibernicam gentem domasse, & do-minas insulæ partes regali imperio temperare. Etenim rumor, ut fere fit, hanc fortunæ redundantiam, verbo-rum accretione, dupliauit. Henricus Angliæ rex, qui semper durus, & suspiciosus in Strangboum fuit, admo-dum indignè tulit, hominem, eius ditioni subiectum, altissimum Hiberniæ gradum obtinere. Quocirca, ne forte Strangboum collegam haberet, huic aquilæ altius quam par fuit, euolanti, pinnas hoc cultro incidit. Sanxit peculiari edicto, ne quis in reliquum, quidquam frumenti aut militū, ex villa iurisdictionis suæ crepidine, in

Concilium  
antistitem  
Hibernorū  
Armachia.

Veteres Hi-  
bernorum  
iniuria in  
Britannos.

AEGULATIO  
HENRICI RE-  
GIS IN STRANG-  
BOUM.

Edictū eius,  
quo Anglos  
reuoCAT.

Hiberniam exportare audeat. Item omnibus Britannis, qui in Hibernia fuerunt, diem præstituit, quo domum redirent, ceteroqui in proditorum numero, & loco du- cendos fore, qui ab officio discrepant, debitamque obe- dientiam relinquunt, & abiiciunt. Interdictum hoc, Britannicis negotiis valdè inopportunum, in Strangboi, & militum animis, tanquam stilla muriæ in oculis, hæ- sit. Nam fallacem eorum spem, inanem conatum, denique omnia in nihilum redacta vident, modò sece- dant. Grauem igitur curam, maturo iudicio, suscipiunt, quibus modis hanc inuidia flammam reprimant, & in primis regem, quem iratum sciunt, propitium reddant. Consilium igitur expeditissimum sequentes, Reimun- dum Giraldum, cum legatis, officij & integritatis plenis, ad regem, qui tum etiam in Aquitania fuit, allegarunt: cuius orationis summa fuit, Comitem Strangboum, & reliquos Britannos paratos esse, illius imperio non so- lùm cedere, sed etiam parere. Cùm bona eius venia in Hiberniam peruassisse, indidem ad statum diem reueni- re velle: istam etiam vitæ, & victus inaestatem, quæ ad eius aures, improbissimis obtrectatorum rumuscu- lis, venit, non veritate, sed inuidia niti. Se ergo suppli- cem ad eius excellentiam accedere, ut fictis auditioni- bus, & iniquorum sermonibus, qui in Strangboi no- men, & fortunas erumpunt, grauemque ei inuidiam conflant, fidem non adiungat. Quascumque, in Hi- bernia, possessiones Strangbous habet, in regis manu ac potestate esse. Strangboum nihil aliud cogitare, ni- hil moliri, quam improborum animos frangere, grassa- torum audaciam comprimere, repugnantes Hibernos ad Henrici regis auctoritatem reducere, postremò labo-

Angli lega-  
tos ad cum  
mittunt.

rum

rum suorum vindemiolas principis vsui, vt par est, resuare. Ut tali summisione Comitem Henrico purget, homo promptus, & ad crimina dissoluenda bene diligens, operam dat: dumque ibi diem ex die exspectat, qualem animum erga Hibernicas res Angliae rex gerat, Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, vita ferro cripitur. Cuius interitum cum magnus rerum tumor, & occupata Henrici tempora sequerentur, necesse habebat Reimundus minoris momenti negotium in præparatum regis otium differre. Per haec tempora Dermicetus, Lageniae princeps, cum naturam expleret diuturnitate vivendi, nam tum admodum erat senex, morbo graui, & mortifero affectus, Fernasiæ è vita recessit. Vir fuit magna statura, ingenti, & vasto corpore, pugnax, & lacertosus bellator, vocem habuit subraucam, non tam natura, quam perpetua vociferatione, qua uti, in pugnando, solitus est, quoties milites ad prælium incitabat, aut à dimicatione reuocabat. Timeri à suis, quam diligenter maluit. Ceterum quibus aliis studiis deditus, quibus moribus imbutus fuerit, antea satis est explicatum. Sub idem ferè tempus Hæstheulphus, qui non ita pridem, in vrbe Dubliniensi, cum summo imperio, ac potestate versabatur, sexaginta nauium numero classem ad istam ipsam ciuitatem appulit. Huius gentilitatis homines nostri Oostmannos nuncuparunt: quorum genus est ex Danorum stirpe generatum. Saepius illos in Hiberniam inuasisse, historici referunt. Citerior eorum aduentus, nam de alio nihil ad hunc locum attinet scribere, numeratur anno, post nostrum sotera, & seruato-rem natum, 1050. quo tempore, instructa armataque manu, ad insulam venire, Hibernos bello laceſſere,

corum

Thomæ Cā-  
tuariensis cœ-  
des.

An. 1171.

Dermicij  
mors.Eius habitus,  
& mores.Hæstheulphus  
Dublinium  
tentat.Oostmanni,  
qui dicti.Vide Appen.  
cap. 28.

corum aciem profligare, postremò magna multitudine incolarum occisa, eam Dublinij plagam, finitima suburbanitate, incolere, quæ aquilonem versus trans flumen consistit, eaque etiam nunc Oostmantown, id est, Oostmannorum opidum nominatur. Hasthulphus autem (redeo ad rem) & eius commilitones, ad Danorum consuetudinem satis commodè sagati, duce Iohanne Pewodo vtentes, infestis signis inferuntur ad urbis portam, in oriente sitam, quæ porta Damensis, patrio sermone appellatur. Milo Coganus, qui iam tum ciuitatis principatum ferebat, milites suos in hostes armat, Danorum conatus, quantum viribus conniti potest, refutat. Verùm tanti exercitus vim, & impressionem diu ferre, perarduum erat. Cùm Milonis germanus frater, Richardus Coganus, istud idem animaduertisset, stragemate laudabili, & expedito usus, ex australi D. Pauli porta, cum quorundam equitum turmis, egrediens, in hostes à tergo tela intenderat. Isti, ob eius aduentum, à spe victoriæ ad metum traducti (noua enim, & adventitia militum complementa ad Britannorum subsidium festinare arbitrantur) receptui signum audientes, fugam imbellis timidiisque faciunt. Britannicos animos inflat hæc tergiuersatio, fugientes insequuntur, & multis fugatis, pluriinis, cum duce Pewodo, enectis, Hasthulphum principem, sublatum è prælio, in ciuitatem ducunt. Atque hîc homo impotentissimus non poterat, cum fortunæ fragilitate, irato ac percito animo, non stomachari, quod se in ea vrbe captiuum videret, cuius gubernacula, multos dies tenebat. Sed attende quæ sequuntur. Britanni in publico, hominem ambulare permittunt; eum per blandis verbis accipiunt, reapsè quam

Repellunt  
hostes, stra-  
tagemate  
Anglico.

Hasthulphus  
capitur.

quām honorificentissimē tractant. Neque enim fas esse putant, tali & tanto viro in isto calamitatis iētu, insultare. Hasthulphus tamen, totus morosus, nec iracundiam cohibere, nec linguam continere potuit: sed inspectante, & audiente Britannico exercitu, hac oratione, quæ minacem atrocitatē verborum habuit, vecordis ac furiosi hominis virus euomuit. Optimē res, amici mei, sese habet. Non est, cur, hanc victoriolam adepti, magno triumphetis opere. Haec tenus leuis, & puerilis armaturæ excursiones vidistis: verūm breui tempore, cum multo, magnoq[ue] coinitatu, per omnes Lageniæ partes peruademus, & corroboratam hanc Britannicam audaciam, animis & armis frangemus. At te, inquit Milo Coganus, imperatorem tam acres milites non habebunt. Quanta in victore erit feritas, cùm in victo tanta sit asperitas? Nihil itaque illius iracundiæ permititur: sed contrà conuocato carnifici præcipitur, & negotium datur, vt hominem, atrociter minitantem, morte multet. Id quod est factum. Nec mirum. Nam ne hoc quidem quidquam fuit stultius, quām, dum in hostium potestate maneat, non moderari animo, & orationi, & quos ense excindere non poterat, inani eos voce conari vulnerare. Hasthulpho ad hunc modum securi percusso, Dubliniēsis ciuitas minimē diu respirauit. Nam cùm nemo nauta Britannicus ad Hiberniam vela dare auderet (quippe omnis talis velificatio Henrici regis decreto, vt paullo antè explicaui, erat interdicta) Strangbous, & reliqui Britanni rei frumentatiæ penuria laborabant. Atque hæc commineatus inopia indigenas non fugiebat. Communi igitur confessione ad spem recuperandæ libertatis erecti, pontifice Laurentio cumprimis instigan-

Eius ferox &  
contumax  
oratio.

Qua exasper-  
ratus dux An-  
glus ad mor-  
tem eum dat.

Angli inopia  
commeatus  
laborant.

Dublinium  
Hiberni ob-  
sident.

Gottredum  
ad auxilium  
solicitant.

Is cum nau-  
bus aduenit.

Duuenaldus  
Britannis  
alienus.

te, vti patriam suam ex miseriis eriperet, Dublinium ob-  
sidebant. Ne verò in tanti momenti negotio obsesso-  
res torpere viderentur, Rothericus, Connaciæ regulus,  
& Antistes Laurentius vehementer, per litteras egerunt  
cum Gottredo, Maniæ principe (qui maritimis rebus  
permultum valuit) suas cum illis rationes, & vires quām  
primum iungere. Ad hoc egregium facinus obeundum  
præsens tempus esse insignitè aptum: cui indormire non  
expidiret. Consentientem Hiberniam, ad seruitutem  
propulsandam, excitari; imò omnibus Britannis, ob ci-  
bariorum inopiam, vires & pñè vitam deficere; nulli  
esse integrum, eorum pericula subleuare. Quamob-  
breū singulare studio, ab eo contendunt, pro summo  
eius perpetuoq[ue] studio in Hibernos, se cum carissimis  
vicinis coniungere; cum ratibus suis aduentare; omnem  
commeatus aditum vastificis istis latrunculis, propemo-  
dum fame confectis & perditis, præpropera festinatione,  
claudere. Ad hanc expeditionem naues, & operam  
suam diligens, & amicissimus princeps pollicetur. Pro-  
uehitur ergo Dublinium versus cum triginta egregiis  
myopatonibus, militibus completis, quibus exitum Líf-  
fensis portus tenet. Obsidio hæc ad duos menses du-  
rabat, cùm interim nihil periculi ex vrbe ostenderetur.  
Vnde effectum erat, vt obsessores tutissimè vndique vo-  
litarent, & ciues hostium copiis, terra mariq[ue] circum-  
uallati, atque ab omnibus aduentitiis alimentis inopes,  
magnam ferre inediā cogerentur. Præterea in hoc ex-  
tremo Britannorum fato, Duuenaldus Dermicij filius,  
qui, post genitoris obitum, hostili animo in Britannos  
fuit (nam patrimus summis studiis eos est prosequutus)  
nactus hoc tempus opportunissimum, se & suos è qui-  
busdam

busdam latibulis intulit, & posteaquam Guesfordiensium auxilia comparauit, Robertum Stephanidem, in nouo suo castello, cum nonnullis militibus inclusum, magna hominum multitudine cinxit. Ad Britannos, Dublinij interclusos, de hoc discrimine, summa cum difficultate, allatum erat. Ex quibus nuntiis intellexerunt, actum esse de Stephanide, nisi & eius vitæ, & pudicitia vxoris, infra biduum, aut ad summum triduum cum ingenti exercitu socij succurrant. Addebat nouum vulnus ad præsentem calamitatem hic rumor. Includabantur iam tum Dublinij Strangbous, Reimundus, antè triduo ex prima obsidionis die, ab Henrico rege reuersus, & Mauritius Giraldus; quorum pectora cum communis hæc Britannorum miseria effoderet, tum Mauritius Giraldus æquè Stephanidis fratri vicem, ac suam dolens, ut sanguinis propinquitate, ita cura & mœrore proximus erat. Is igitur mentis aciem in hanc rerum inclinationem, acri circumspectione, intendens, ducibus, & militibus conuocatis, hæc, apud cœtum verba fecit.

Illustrissimi duces, & commilitones fortissimi, neminem vestrum, ut arbitror, præterit, quid caussæ nos in Hiberniam impulerit. Abdomen nostrum Lucanicis ingurgitare, sub tectis, atque adeò in lectis molliter recubare, domi fortasse, si vellemus, securi, & socordes poteramus. Pacifici, & otiosi istas delicias consecrari solent, armati, & actuosi in spinosiores vias ingredi debent. Quid? Ad iocandūmne, an ad dimicandum in has oras venimus? Quid? Num arma capere, an ad clepsidram sedere, statuerimus? Labentem, ac potius ruentem nostrum statum, acribus oculis, intueamur.

Stephanide  
impruiso  
oblidet.

Mauritij  
Giraldi  
oratio, &  
consilia.

» Rempub. nostram, quæ non ita pridem florentissima  
 » fuit, iam nunc occidentē, imò certè quaestatam cernimus.  
 » Vbi sunt veteris dignitatis ornamenta? vbi pristinæ sta-  
 » bilitatis præsidia? an nō acerbos dies hīc nimis diu susti-  
 » nuimus? Infestissimi hostes, à quibus, magna multitudi-  
 » ne, obfessi sumus, non nisi sanguine nostro diuturnam  
 » sitim explere volunt. Stephanidem, & eius coniugem,  
 » quorum salutem, si non fortunas, quibuscunq. viis possi-  
 » mus, tueri debemus, castello circumfederi pro certo  
 » scimus. Quid igitur faciamus? Quibus rebus acerbi-  
 » tatem hanc à nobis, & nostris redimamus? Quid enim?  
 » Ad hostium misericordiam confugiemus? At quæ cle-  
 » mentia ab inexorabili iracundia exspectetur? Quod si  
 » hostes in nos implacabiles non essent, iniquissimam  
 » medius fidius vitæ conditionem autumarem, victorem  
 » ad vietum supplicem accedere, & quem armis fregeras,  
 » verbis mitigare. Horribile est nomen deditiois, res ve-  
 » rò ipsa remis velisque fugienda. Quippe omnia prius  
 » periclitari, quām deditiois facere, bellatorem decet.  
 » At Angli huc præproperè venient, atque frumento sup-  
 » peditato, socios, propemodium fame necatos, commea-  
 » tu iuuabunt: deinde obfessos, corporum conflictu, à  
 » periculo prohibebunt. Et quidem vide, quantæ curæ  
 » illis nostra sit salus, cùm, regis edicto, aqua & igni no-  
 » bis interdicatur. Ea enim iam nostra ratio est, & is  
 » temporum cursus, vt sicut Hibernicis Angli, sic & An-  
 » glis Hibernici sumus. Horum odio, illorum armis pre-  
 » mimur. Quare cùm in magnum, & graue bellum  
 » ingressi sumus, agaturque iam, liberine viuamus, an  
 » mortem oppetamus, cùm famem diutius perpeti non  
 » possimus, nostræ & sociorum incolumenti consulamus.

Quod

Quod facile fiet, si omnes prolatandi ansas amputemus; “  
 si in medium hostium aciem irruamus; si belli fortu- “  
 nam tentemus; si nos morti, hostibus mortem offera- “  
 mus; si cum fama mori, quam fame confici multò præ- “  
 stantius iudicemus. Siquidem hoc ipsum homini de- “  
 speranti salutem adfert, omnem salutis spem inanem, “  
 atque adeò desperatissimam ducere. Vbi Giraldus per-  
 orauit, yniuersi auditores, ad dimicandum incensi, ad-  
 murmurarunt: quibus animos Reimundus addidit, qui  
 in eandem expeditionem milites ad arma tota concione  
 vocauit. Quocirca decreuerunt, Britannicarum copia-  
 rum firmamenta ad illam ciuitatis plagam mittere, ad  
 quam Rothericus, Connaciæ princeps, castra fecit, &  
 cum illius militibus, omni animi ac corporis contentio-  
 ne, configere. Quod si nostri, inquiunt, huius exer-  
 citus cornua commouere potuerint, de ceteris gregariis  
 militibus non valdè laborabimus, qui, agminibus Con-  
 naciæ cæsis fusisque, animos compriment, atque priua-  
 tam salutem, in publica strage, armorum metuentes, re-  
 spicient. Postero die, cum cælum nitesceret, Britanni  
 tres turmas fecerunt. Primæ quasi alæ præfuit Reimun-  
 dus Giraldus. Ceterum viginti solùm Britannicos equi-  
 tes sub signis habuit. Mediam administravit Milo Co-  
 ganus cum triginta equitibus, ultimam habuerunt ipse  
 Strangbous, & Mauritius Giraldus, quæ quater denos  
 equites Britannicos continebat. His inservierunt adse-  
 statores etiam equestres, cum nonnullis auxiliariis mi-  
 litibus, qui ex ciuibus dilecti fuerunt, quoniam se ad-  
 iutores, ad obsessorum copias profligandas, valdè ex vo-  
 luntate professi sunt. Ex urbe subito armati euolant,  
 cum hostibus imprudis, & semisomnis ferrum ac-

Britannia ad  
prælium se  
parant.

Diviso co-  
piatum.

Præter op-  
tionem ho-  
stes aggredi-  
untur.

Quos semi-  
sopitos repe-  
riunt.

Reimundi  
laus & forti-  
tudo.

Hiberni ab-  
iectis armis  
fugiunt.

Ipse rex se-  
minodus a-  
uolat.

manus conferunt. Etenim mirum videri non debet, si veternus aliquis magnam obfessorum multitudinem occuparet, cum nemo ferè ita perspicax esset, qui pauculos homullos in firmum exercitum excutere diuinaret. Reimundus autem, sanequam vehemens & violentus bellator, reliquis præliis reliquos milites, in hoc seipsum, viribus & lacertis, superauit. Statim ut in aciem venit, impetum in duos equites fecit, quos hasta raptim confixit. Meilerius item, non insolita sibi virtute freatus, multorum interitu exitioque gladium cruentauit. Militabant, in hac excursione, Giraldus, & Alexander, fratres germani, Mauritij Giraldi, valentissimi patris, animosi filij, ætatem fortitudine vincentes. Ceteri item Britanni in Connæctensium aciem irruptionem faciunt furibundi, & præliorum pericula audacter ineunt. In summa, Hibernicus exercitus adeò importunè à Britanis premebatur, ut maior pars, metu repressa, non modo arna deponeret, verùm etiam abiiceret. Sedebat id temporis, ad se curandum, & ad calfaciendum corpus, Rothericus, minus valens, in balneo: deque hoc congressu certior factus (nam in totam illam manum, quam is habuit, equis incitatis se Britanni immiserunt) è labro prossiliens, & vestibus in apodyterio relictis, fugæ, præter subligaculum, ferè nudus, se mandare. In cuius vestigia, admodum recentia, omnes Hiberni qui poterant, armamentis, & reliquis impedimentis amissis, incurre. Britanni fugientes partim capere, partim interficere, in eoque ardore persistere, quoad solis occasus continuæ internacionis finem necessariò facheret. Nam à mane ad vesperam, ista occidio fuit continuata. Fugatus erat, eo die, cum Rotherico, & pontifice Laurentio,

magnus

magnus Hibernicorum dynastarū numerus: nimirum,  
Mathelanus, Machalenius, Gillemehelmocus, Otue-  
tolius, Ororicius Medensis princeps, O Carelius Vrilien-  
sis praefectus, Machsalinus, Ochadesus, & alij plures,  
qui apud Hibernos erant in magno nomine, & gloria.  
Ut primū posterus dies illuxit, victores, nonnullis  
Dublinij relictis, ad castellanam obsidionem propera-  
re perrexerunt, eo confilio, vt Roberto Stephanidi sub-  
sidio venirent, salutemque insperanti redderent. Sed  
Britannicam celeritatē Hibernica calliditas anticipauit.

Nam cum Duuenaldus, & ceteri gregales, qui Stepha-  
nidem, & Guliellum Nottonum, militem in castelli  
propugnatione, egregiè strenuum, castris sepserunt, ob-  
fessos oppositu interiectuque aggerum circumdatos,  
nullis viribus expugnare posse perspiciunt; veteratores  
vafri eos in fraudem insidioso sermone impellere con-  
nituntur. Adducunt, prope castelli muros, Guesfordiaæ,  
& Kildariaæ pontifices, togis & lenis amictos, & Ste-  
phanidi omni assueratione, affirmant, Richardum  
Strangboum dedisse poenas temeritatis suæ. Rotheri-  
cum, & Ororicium Dublinium recepisse; omnes Bri-  
tannos, quoniam se obfessoribus dedere nolebant, vi-  
tam, propria pertinacia, amisisse. Ad hæc, Connaciæ  
principem exercitum, contra obfessos, iam iam huc mis-  
surum, qui Britannicas reliquias membratim lacerabit,  
& distrahet, ac insulam ab omni non modo bello, sed  
belli metu liberabit. Cùm igitur imminens hæc, &  
confatalis calamitas, in ore atque in sermone omnium  
esse inciperet, nihil illum celare volebant. quandoqui-  
dem eum non solum diligebant, sed etiam amabant,  
quòd in eos plura, & maiora, quàm ceteri Britanni, stu-  
dia atque

Fugatorum  
nomina.

Duuenaldus  
callidè Ste-  
phanidem in  
potestatem  
accipit.

Persuaderet ei  
Dublinium  
amissum, &  
Anglos ca-  
fos.

dia atque officia conferebat. Quare cum omnis ademta sit suppeditandi facultas, illum etiam atque etiam hortantur, pericula perrumpere, crudelemque mortem celeri fuga subterfugere. Suam illi operam, pro eo quanti eum faciunt, cumulatissimè liberalissimeque pollicentur. Atqui si egredi, & se conferre in eorum clientelam voluerit, fidem interponunt, eum & socios periculosa hac flamina eripere, & in Cambriam, solutis ancoris, quam primum reducere. His, & similibus bladitiis officiorum, homini, alioquin ad suspicandum sagacissimo, sed nimis tamen, in hac fraudatione, credulo, astuti circumscriptores imponebant. Quamquam haec eius imprudentia, qua verba sibi dari, simulata versutaque amicitia, est passus, non multum culpæ habere videtur. Nam cum omnis ad eum aditus arduus, & obstructus fuit, Dubliniensium retum nullos habere nuntios potuit, quorum verissimis sententiis spem aleret, & dedicationem procrastinaret. His itaque astuum tradiculis Stephanides irretitus, se, & suos hostium tutelæ, atque patrocinio commendauit. Qui vbi incimes, & nihil mali suspicentes in Hibernorum potestatem venerunt, tantum absfuit, vt isti salutares patroni deditios, ad eorum fidem confugientes, humanitate aliqua leuarent, vt omni quidem acerbitate violarent. Siquidem unum in arborem tollere, alterum præcipitem agere, illi ceruices frangere, alij oculos tundere, cuidam linguam euellere, huic lacertos præscindere, isti crura suffringere, non nullos loris cädere, vinculorum saevitiam in multis adhibere. Dum vario hoc cruciatu animos suos Hiberni exsaturant, permanant sermones ad eorum aures, victores Britannos ad Stephanidis castellum accelerare. Hiberni

Stephanides  
fidei hostiū  
se permittit  
cum suis.

Quos Hiber-  
nari variè &  
crudeliter  
occant.

Inde fuga se  
proripiunt.

berni, disseminato dispersoque hoc rumore, cudentes carbones in Guesfordiensium tecta iactant, & non admodum longo spatio interposito, ad Begeriam (quæ insula Sancta nominatur) propter introitum Guesfordiensis portus sitam, cum Stephanide vincito, & aliis Britanicis captiuis, in actuariolis, confugiunt. Interea dum Strangbous per angustatos Odroniæ anfractus Guesfordiam versus iter cosfert, nonnulli Lagenienses eum ad pugnandum inexspectati prouocant. Ad signorum collationes ventum est. Verum Strangbous, cum suis scutatis militibus, ex ipsis angustiis, & tortuosis flexibus in planitiem euolauit, cum in eo prælio nec superior, nec inferior discessisset. In itinere communi fama atque sermone auditum erat, Stephanidem, & eius adseclas ex insidiis captos fuisse. Nuntios etiam Roberti custodes ad Strangboum legabant, qui eum à captiuis recuperandis reuocarent. Nam si in insulam vestigium fecerit, imò si remum aut scalimum illuc accelerantem viderint, Stephanidem, & eius ministros in mortem tradere minitantur. Grauissimus captiuorum casus & praua inimicorum mens Strangboi animum percussit. Se in opidum Guesfordiam demisit. Ibi Herueius ei præsto fuit, qui recta ab Henrico rege venit, à quo ad Strangboum mandata detulit, in Britanniam petceleiter redire: regem ullam excusationem, quæ nauigationis celeritatem morati possit, non accepturum. Strangbous, nullam habens moram, à Guesfordia in Britanniam nau profectus est; ad Henricum regem omni festinatione properauit, qui tum fuit Niwehamiæ prope Glocestriam, cum magno exercitu, quem secum in Hiberniam traicere parat, ut Britannorum consilia impediatur.

Strangboi  
cum Lago  
nienibus  
pugnat

Strangbous  
deterritur ab  
ingressu in  
insula.

A rege Hen-  
rico reuoca-  
tur in An-  
gliam.



& omnem

A quo parum  
benigne ex-  
cipitur.

Ipse autem  
contra regi  
supplex.

Pactum eius  
cum rege, su-  
per Hibernie  
terris.

Rex Henri-  
cus in Cam-  
bria cum ex-  
ercitu agit.  
Incolas aspe-  
ctus habet.

& omnem Strangbooo potestate eripiat. Rex simulac adspexit Strangboum oculis, frontem contrahere, accipere male verbis hominem, audaciam eius asperè & acerbè increpare, quod Hibernorum territoria rapinis & compilationibus adfixefit, ac honorata conditione minimè satiatus in alienas terras, perinqua irruptione, inuolarit. His & aliis offensionibus cōmemoratis, Strangbous seipsum, omni officio, Henrico purgat. Si quid offensum titubatumque sit, à rege impunitatem & veniam petit ac precatur, adiiciens, eas, quas in Hibernia possessiunculas tenet, sua voluntate regi concedere. Hæc liberalitatis mēntio principis aures titillavit, & diuturnum odium vtcunque placauit. Quare depactus est Strangbous cum rege, Herueio præfente, qui totius negotij conditor erat, Dublinium & citeriorem partem, quæ cum Dublinio ad austrum continens est, quæque hodie regis terra nominatur, maritima item opida, ac singulas arcis regi condonare, agros & pagos sibi ea legre reseruare, vt ista etiam rusticana patrimonia ex regis prærogatiua in perpetuum pendeant. His pactis, & conuentis in membranis, vt mos est, diligenter exaratis, multo confirmatis chirographo, atque miniata cerula vltro citroque ob-signatis, rex, cum omnibus suis copiis profectus est Meneniam, vbi in Milfordi portus statuus regiam magnificamque classem, rebus omnibus instruam, & paratam habuit. Dum in his Cambriæ oris Henricus commoratur, valde iracundè cum incolis agit. Fulgurare enim, & tonare incipit, quod Strangboum, ex ipsis maritimis fauibus, in Hiberniam inuadere permiserunt, imò bellicis auxiliis probè ornarunt, perinde ac si sui iuris essent, & aliatum gentium controuersiæ ad corum

ad eorum arbitrium iudicari compellerent. Quare cum à fide, obedientiaque disceterint, eos crudeliore dominatu premere minatur, ut Henricus, non Strangboum, Cambriæ esse regem, deinceps intelligent, & agnoscant. Cœpit Menenia, cum Pembrocia, minace hac tempestate quassari. Verum terreltris quedam aura omnes hosc minarum nimbos subito sedauit. Siquidem Henricus iratus (sic est in rege dicendum, quandoquidem placatus quam æquitatis speciem habet?) utiusque provincie castella & arces publicauit, operibus ac munitionibus circumdedit, veteranis compleuit. His ita peractis, habitatores facilius cum rege in gratiam redierunt. Nam quis mortalium tam animo agresti ac duro vir quam fuit, quem non multorum fortunæ mollire, ac pacare potuerunt? Dum haec in Cambria getuntur, Britanni in Hibernia non miltos quietis & interspirationis dies habuerunt. Nam cum Otoricius Medix regulus, Strangboum mare transisse, Reimundo Waterfordiæ negotiū in facessitum audiuit, magis idoneum tempus exspectare, nec voluit, nec potuit. Collectitum ergo exercitum in expeditionem adduxit, & castra ad Dublinij muros locauit. Paucos in yrbe, sed minimè improuidos & socordes milites inuenit. Oppugnatores, ad motis scalis, ad muros concendere, initium consilendi cum ciuibis facere. Milo Coganus, vir ad pericula depellenda admodum fortis, sociorum virtutem moenibus & aggeribus cohibere noluit, sed militari choro, pugnandi cupido, succinctus, pedem urbis porta extulit, & à tergo Hibernos concidens, minima manu maximas hostium copias fudit. In hoc conflictu Ororici filius armā contra Britannos tulit, qui, mortifero vul-

Otoricius  
Britannos  
inuadit.

Dublinium  
oppugnat.

Sed eum fa-  
dit fugaque  
Coganus.

nere accepto concidit; iuuenis cùm in toga clarus, tum in armis strenuus. Nonnulli ex Britannis desiderati sunt; siquidem pugna ista viriliter & neruosè pugnata fuit. Interea Henrico regi bellè flauit secundus, & leuissimus ventus, quo usus, in Waterfordensem portum trauectus est, eo scilicet anni tempore, quo dies festus D. Lucæ nomine agi solet, anno humanæ salutis 1172.

Rex Henr-  
eus in Hi-  
berniam ap-  
pulit.

Ann. 1172.

regni 17. ætatis 41. Summa cum gratulatione ciuium al- lætitia in urbem recipitur. Hic dum aliquid temporis

In eius gra-  
tiam Stepha-  
nidem libera-  
tur.

Sed crimi-  
bus apud re-  
gem onera-  
tus.

ad reficiendum se, & curandum dat, Guesfordiæ munici- cipes, vti regis gratiam aucupentur, Robertum Stephanidem catenatum Waterfordiam adducunt, criminibus grauissimis apud regem accusant, eum priuata audacia, non publica licentia prædonum impetus in Hibernos inflammasse. Et quoniam conuictatores in malevolen- tissimis obtrectationibus tam diligenter rex attendit, in captiui maledicta pergunt, eum Hibernici belli tubam, sicariorum signiferum, communis incendij facem, pacis turbinem, potius maledicè quam accusatoriè nominan- tes. Regis animum à Stephanide hæc querelarum tem- pestas alienauit. Quare oculorum ardore in reum con- tumeliis opertum atque oppressum intuens: quis tu es, inquit, qui huius reipub. munia sustinere audeas? Ni- hil, præter regiam dignitatem ambitiosum tuum ani- mum satiare poterit? Me doctore condicces optabilius esse nobis seruire, quàm alienis imperare. Mandauit ergo rex apparitoribus, indicta cauilla (neque enim men- tis cogitata liberè eloqui Stephanides audebat) vinculis & catcere eum castigare. Regis mandata illi curant, in publicam Waterfordiæ custodiam eum tradunt. Hæc ad virbis muros adhærescit, & Reginaldi turris vulgari-

Et in carce  
conicitur.

ter no-

ter nominatur. Postridie quām hēc gesta erant, Dermicius, vrbis Corragiae princeps, Waterfordiam intrabat, & se ad Henrici pedes abiiciens, eos imperij sui fasces non dimicanti deferebat, quos multis antea dimicantibus denegarat. Rebus ad hunc modū gestis, rex, coacto in vnum locum exercitu, in opidum Lismoriam iter fecit, vbi biduum commoratus, Cassiliani petere perrexit. Ei Duuenaldus, Limimerici rector obuiam ad flumen Suirense venit, & ad regis arbitrium omnem suam iurisdictionē contulit. Adierunt simili obuiam itione Henricum Duuenaldus, Ossiriensium moderator, & Maclathalus Ophellanus, cuius imperio ac potestati se, omni subiectione, dediderunt. Aduenientes principes Henricus per honorificē accipit, eorum non modō saluti, sed etiam dignitati consulere pollicetur, denique illos oportet muneratur. Familiarissima hac societate, & pecuniae erogatione omnium ordinum studia & benevolentiam alliciebat. Etenim congiariorum largitas, affabilitasque sermonis vinculum adfert, ad voluntates copulandas, mirificum. Rex per Tiberiarum reuersus est Waterfordiam, vbi dum se iucunditati dabat, multi intercessores, amplissimo loco nati, & regis benevolentia florentissimi, eum pro Roberti Stephanidis calamitate deprecari. Nam cūm primum aditum ad nouum hunc dominatum Stephanides aperuerit, neque unquam inofficiosus in principein, aut patriam suam existiterit, citò de illo credere, durum admodum illis videbatur. Bellorum, inquietum, incommoda gratificantes principes, honoris compensatione, lenire debent. Accedit eodem, animam ē corporis compagibus illos euellere, qui à militum benefactis principis benevolentiam

Corragiae  
princeps Hē-  
rico se subii-  
cit.

Item Duue-  
naldus.

Pluresq; re-  
guli, & dyna-  
tie.  
Benevolitas  
& liberalitas  
Henrici erga  
omnes.

Deprecato-  
res pro Ste-  
phanide.

Eorumque  
oratio.

disiungunt. Hoc iter ad omnem ignauiam proximum, & compendiarium esse, si bellatorum res gestas obtrectatorum calumniis reges obliterare velint. Quis enim in posterum reipub. curam suscipere, aut inter media hostiui tela, committere se mortis periculo demens cogitaret; si regia dignitas virum de patria optimè meritum, & rei militaris scientissimum, in quem maximos honores cōferre deberet, omni ornatu, sine causa, denudaret? Porro autem, si iuste, & æquè rem discepitate princeps velit, etiam sine eorum interpellatione, ab æquitate regis res ipsa hoc, quod rogant, impetrare debet. Quod scelus? quod facinus edidit Stephanides? Britannoruim arma, exclamant Hiberni, contra nos excitauit. Damus. Instructa & temperata militum manus otium nostrum perturbauit. Patemur. Acerbis, & diuturnis bellis totam insulam vexat. Concedimus. Quid ergo? Quis huius profectiōnis approbator fuit? Quis conflandi exercitus suasor? Quis belli impulsor? Quis præliorum auctor? Quis victoriæ princeps? Solus profectò Henricus princeps, qui, in publicis litteris, omnibus sub eius imperium subiectis, auctoritatē & gratiam suam detulit, ad Dermicium, Lageniæ regulum, patria vi pulsum, de exilio reducendum. Num itaque rex (cuius effata sunt oracula) acta, quæ scriptis approbavit, verbis rescindet? Regum diplomata ciuium salutem continent, incolumes fortunas seruant, illorum fide omnes nituntur, præsidis mununtur, firmamentis salvantur. Quocirca eorum auctoritatem infringere, debilitateque, nihil aliud esset, quam ciues ex omni spe salutis deturbare. Namobrem summissè supplicabant, ut virtutum summo officio præditum, quem rex iratus contem

condemnabat, rex exoratus absoluerebat. Guesfordiensium compellationem Stephanidis esse commendationem, quibus idcirco odium est in illum, propterea quod magnas res bellicas gesserat, quod eos supplantauerat, quod homines seruituti natos ad Britannicum imperium traduxerat. Intudia Robertum arguit, iracundia punit, innocentia purgat; innocentem igitur iustitia liberet. Deprecatoribus & recta, & honesta potentibus nihil negare rex potuit. Etenim posteaquam ad se rediit, eum huius iniuriæ suppœnitibat. Nullam ergo ampliandi moram interponens, vincitum ex custodia in libertatem vindicat; hac tamen exceptione, ut Guesfordiam eum vicina, & finitima continente regi concedat. Praclarè secum agi putauit Stephanides, reconciliatum principis studium habere. Quare melius sibi esse nouit, ius suum amittere, quam perpetuis ergastuli claustris coangustari: quandoquidem regis animum patientia molliendum, non proteruitate exulcerandum, homo prudentissimus, & maximarum rerum iam imbutus vsu perdidicit. His ita actis & decisis, rex Roberto, Bernardi filio, Waterfordiæ principatum, tanquam custodi, dedit, & per Ossiriam, Dublinium iter habuit. Complures Hibernici optimates ei obuiam processerunt, & se ad eius imperium adiunxerunt: quibus haec fuere nomina: Mathelanus Offellanus, Mattaleuius, Otuetelius, Gillemeholmochus, Oadhesius, O Carelius Viriliensis, Ororicius Medensis princeps. Verum Rothericus, Connaciæ gubernator, ad annem Sanniensem Hugoni Lacio, & Gulielmo Aldelini filio, regis legatis, præsto fuit, atque celeberrimo Britannorum Hibernorumque conuentu, Angliae regis auctoritatem amplecti,

Rex Stephanus  
modem libe-  
rat plenè.

Alij Hiber-  
niæ dynastæ  
Regi se sub-  
iiciunt.

Ipse etiam  
Rothericus.

Tota Hiber-  
nia, excepta  
Vltonia, An-  
glicum im-  
perium am-  
pleteatur.

Vaticinia  
Merlini, eaq.  
iure eleuata.

amplecti, vectigalia pensitare promisit. Ac ne multa, nullus dynasta non modò in Lagenia, sed ne ylo in angulo totius Hiberniæ fuit (solam Vltoniam excipio) qui in Henrici principatum vel præsens vel absens non iurauit. Litteris, memoriacque tradit Giraldus Cambrensis, quem in his libris præcipue secutus sum, binas Ambrosij Merlini vaticinationes, quibus hanc Henrici regis victoriam, multis antè lustris, prædixisse Sibyllinus fatidicus videbatur: primam, **S E X T U S H I B E R N I A B M O E N I A S V B V E R T E T :** secundam, **Q V I N Q U E P O R T I O N E S I N V N A M R E D I G E N T V R.** Huius diuinantis nomen apud hos amplissimum esse solet, qui anili superstitione obligantur: cuius scripta, ea præsertim, quæ his nugatoriis prædictionibus sunt referta, perinde ac si essent oracula, numinis concessu, & munerere, hominum generi commendata, plurimum habent apud istos & fidei, & auctoritatis; cum tamen (verum dicam) non tam religiosi vatis pronuntiata, quam fanatici harioli figmenta censeri debeant. At quæ prædixit, contingunt verè. Sit sanè ita; dummodo certos euentus, ad dubias, & flexiloquas præfensiones, contorta, atque violenta interpretatione, accommodes. Neque enim tanti laboris est, ambigua ænigmata, & quasi Apollinis opertis obnubila & inuoluta, in omnem diuinationis partem interpretari. Quinque, inquit, portiones in vnam redigentur. Cur hæc, sodes, verba, quæ innumeris rebus communia sunt, vni Hiberniæ propria tradis? Nam si quis architectus, quinque ædiculis complanatis, vnam amplam, & magnificam domum in isto ipso solo exstrueret, multò aptius in talem fabricam, quam in Hibernicarum partium compactionem hoc futile

futile mantis praedictum quadraret. Nam Ultonia, quæ est quinta insulæ portio, in Henrici imperium iam tum non recidebat. Sed superstitione nulla maior vanitas est. Longius progressus sum: redeo ad cetera. Adsuīt anniversaria illius diei commemoratio, quo humani generis liberator in lucem est editus. Henricus iustitium, per totum illud solennitatis spatium, indixit, apparatus, sima spectacula, pugilum commissiones, varios triumphos, & compitalitias epulas instituit. Hoc cūm sermonibus esset percelebratum, concursus Dublinium, ex omnibus Hiberniæ oris, mirum in modum, fiebant. Maximos sumptus princeps facere, blandissimè Hibernicos proceres appellare, cum illis in commensationibus compotor, in mensa compransor accumbere. Regia & patriciis, & plebeis hospitibus patebat, quorum frequentissimæ erant obuersationes, diurnis, nocturnisque horis. Multas perpotationes ad multam noctem producebāt. Ad hæc aurata, & gemmea pocula, vis maxima vasorum cælatorum, cæteraque toreumata, quæ in abacis suæ exposita, trulla, & crateræ aureolis bullis compunctæ, pateræ margaritis distinctæ, argentea candelabra, cereis oppleta, cochiliata aulæ, carbææ, & gypsatisimæ mapæ, peristromata subterposita, ac dibapho tincta; obsonia conquisitissima condimentorum omnium varietate conferta; lautissimus cupediarum apparatus, desigñatorum, & discophororum multitudo; buccinarum clangor; neruorum, & tibiarum cantus, symphoniarum suauitas; coronati principis in sella inaurata sedentis maiestas, regalis purpura, & qua erat conuestitus auro trilex trabæ; postremò perhonorificæ omnium rerum pompa conuiuas simplices, & tantæ magnificentiæ insuetos, ad

Natalitia  
Christi splé-  
didè cele-  
brata ab Hé-  
rico.

Hiberni pō-  
pam & diui-  
tias admi-  
rantur, non  
antē solita.

Res Hiber-  
niæ rex com-  
ponit.

Initio factō  
à sacrīs.

Gelasius Ar.  
machanus  
Antistes.  
Eius vita re-  
cta & sobria.

magnam admirationem traduxerunt. Peitæsum ergo est domestici situs, & pristini tyrotarichi, dum regiis ornamenti convictores oculos pascebant, & voluptarias tonsillas promulsidis dulcedine irrigabant. In his symposiis Hiberni primum grues esse coeperunt, cum ab istis volatilibus, tanquam à cantharide, antea semper abhorruissent. Postquam ad hunc modum Christi natalitia Henricus dedit, reliquis consecutis diebus, omnes curas, & cogitationes in Hiberniæ repub. componenda confixit. Cum igitur Christianam religionem, quæ omnis salutis sospita est, diuturna officij neglectione, inclinatam vidisset (quippe multorum mentes tenebricosa quedam cæcitas obscurauit, qui relicti sanctissimis pietatis studiis, scelerum se ministros dissolutissimis animis præbuerunt) his incommodis in primis occurrere, & omnem suam auctoritatem ad tam præclarum negotium, cogitatè conficieendum, deferre statuerat. Conuererunt ergo pontifices, atque alij sacrorum antistites ad opidum Cassiliam, qui rebus diuinis, magno consilio, & optima mente, operam dederunt, labantem religionem fulserunt, præteriti temporis caliginem, salutaribus sciris, dispulerunt; lolium à frugibus, tanquam periti messores, separarunt. Non interfuit his prouincialibus comitis Gelasius, Armachanus primus, morbo præpeditus: tamen postea in collegarum sententiam pedarius præfus iuit. Huius Pontificis vitam probatam, & constantem posteritas accepit. Vixit ad tantam senectutem, ut eum vires proflus deficerent, & in quam se cunque viam dedit, candidulam vaccam circumgestauit, cuius lacte, pro frumentaco cottidiano, exhaustum suum, & vietum corpusculum, usque ad ultimum tempus ætatis,

ætatis, decrepitus senex nutricari confueuit. Nebulosum erat, & admodum caliginosum totum illud brumale tempus, quo Henricus in Hibernia consiltebat. Continuis nimbis, ac tempestatibus terra & mare, propter teterimæ hiemis magnitudinem, personabant, ita ut, toto illo aduerso anni tempore, nemo esset, qui ex portu egredi, malum erigere, & vela facere pertentaret. In tam diuturna nauigationis intercapedine nihil noui, aut ex Anglia, aut Normannia ad regem efferri poterat, etiamsi suspenso animo, & sollicito, quid utrobique ageretur, scire aueret. Tandem paullò post calendas intercalares, cum mare tranquillari cœpisset, traiecti sunt ex utraque regione, qui regi nuntium parum exoptatum attulerunt. Siquidem duo Cardinales, quibus nomina erant Albertus, & Theodinus, par præsulum non dispar, (nam ambo habitu sunt commodi homines & moderati) missi ab Alexandro tertio, iter in Normanniae fines fecerunt, & Henrico regi denuntiarunt, seipsum, de Thomæ Cantuariensis cæde, quam celerrime illis purgare, alioquin à Christianorum cœtu, atque ab imperij clavo, pontifícia interdictione eum repellerent. Audiuit etiam alios sermones, nihil nisi insidias & proditionem loquentes; filium suum, cui regni diadema non ita pridein pater imposuit, perditis, & profligatis coniuratoribus instigantibus, ab omni officio ac pietate, post Henrici in Hiberniam transmissionem, recessisse: item duos germanos fratres minores, duce & auctore maiore, huius sceleris socios, & confortes esse. Hos cum aliis proceribus, qui voluntates suas filiorum proditioni adscriperunt, nihil habere propositi, præter paternam cædem, status conuersionem, & totius reipub. euersio-

Tempes-  
tris in Hi-  
bernia.

Duo Cardi-  
nales ad He-  
ricum missi.

Super cæde  
Cantuariensis.

Suspiciones  
de filio Hen-  
rici.

Aegrè ex  
Hibernia  
rex discedit.

Necrbus ex  
voto com-  
positis.

Principes &  
duces sibi  
conciliat.

Munera &  
curationes  
disparitur.

nem. Vtroque nuntio percusus est Henricus. In tan-  
ta etiam, ac toleratu difficulti, domesticarum & publica-  
rum rerum perturbatione, hoc illum vehementer solli-  
citauit, quòd ita celeriter ei discedendum ex Hibernia  
fuit: in qua æstiuia conficeret, & varia castella exædifica-  
re, in animo habuit: quorum firmamentis viatos in sua  
potestate, ac ditione teneret, improbis, qui in eius impe-  
rium contumaces essent, metum, & mortem facile in-  
ferret. Sed horum malorum interuentu, non tantum  
ab instituti operis perfectione, sed à primis, quæ agere  
decreuit, fundamentis, multum absuit. In his tamen  
dubiis, formidolosisque temporibus, excogitat cautè, &  
diligenter, quid decernat. Nam ubi perspexit, Strang-  
boum magna esse cognitione munitum, opibus etiam,  
ac armis plurimū in Hibernia valere, eumque, si à re-  
pub. descisceret, posse facilimè retum potiri; principes  
duces & veteranos, qui Hibernici status peritissimi e-  
rant, ad suas partes, omnibus & verborum blanditiis,  
& munificentæ incitamentis inuitauit. Vnde suam  
causam magis validam, Strangboi verò minus firmam  
reddidit. In his adscriptitiis seruis numerati sunt Rei-  
mundus Giraldus, Milo Coganus, Guelmus Masca-  
rellus, & plures alij, cùm in ceteris rebus, tum in re mi-  
litari singulares, qui regi officium, & diligentem cultum  
tribuerunt. Ad hæc vt insulæ vrbes Britannicis præsi-  
diis stabilitæ manerent, Hugonem Lacium, Dublinij  
rectorem, creauit. Hunc virum, in omnibus officiis  
retinendis diligentem, maiore honore augebat: nam ei  
integræ Medium in perpetuum dabat. Illi etiam con-  
stituebat corporis sui viginti satellites. Remanserunt  
item in vrbe, iussu regis, Robertus Stephanides, & Mau-  
ritius

titius Giraldus, quos princeps viginti administris stipuit. Waterfordiae præfecit Humfredū Bohonensem, Robertum Bernardi filium, & Hugonem Gandeuillanum, cum viginti auxiliariis militibus, qui eos adserentur. Gulielmo Aldelini filio, Philippo Hastingso, & Philippo Brusao, Guesfordiae præfecturam detulit. Hac insulæ procreatione constituta, rex in Britanniam, ad arbitrium suum reauigauit. Post eius transmissionem, Ororicius, Mediæ princeps, insidias Hugonis Lacij vitæ, omnibus modis, parare enitebatur. Etenim facile diuinabat (qua fuit is sagacitate in suis negotiis) omne suum principatum dolendum fore, modo Lacijs Medijs, cui eam rex donauit, potestate amplecti semel potuisset. Cum igitur nouum hoc, ac insolens collègium Ororio impatibile videretur, competitoris interitum perdiu non cunctandum, sed cruentum quiddam confessim conandum duxit. Ergo ut hanc, quam animo versabat, rotam, affabre & ex sententia tornaret, ad pacis pactionem Hugonem inuitabat, vti fictis induciis factas insidias occultatius, & cautius obnuberet. Constituta fuit inter illos dies, qua in campstrem congressum, & colloquium venirent, vti omnibus, quibus fieri posset, æquis & verecundis conditionibus alter alterius animum tranquillaret. Depactus tamen est Ororicius cum Hugone, se paruo comitatu conuoluere, quorum suorum numerum æquare Hugonē obsecravit. Ne verò hæc paucitatis postulatio astutum propositum habere videretur, hoc fugo politulus infector caussam obliniuit. Verisimile esse dixit, vbi magni conuentus Britannorum & Hibernorum sunt, rixas & pugnas oriri, duces rem ad concordiam adducere non posse, si milites contentionे discordes tumultua-

Ettandem  
in Britaniam  
reauigat.

Ororicius  
insidias parat  
Hugoni.

Idque per  
speciem col-  
loqui.

ri inciant. Aequa erat haec, & honesta postulatio, atque ab omni, ut putabatur, dolo malo aliena. Quare Laci ad hanc conditionem, ex pacto & conuentu descendit. Pridie eius diei, quo conuenire statuerunt, Grifinus, Mauriti Giraldi nepos, licet non esset yaferrimus somniorum interpres, mirificè tamen sollicitus erat, ne Ororicius Hugoni, & Giraldo auunculo insidias apponneret. Etenim ei, concubia nocte arctè dormienti, visus est ingēs silvestrium porcorum grex, qui, ferina agrestiq. immanitate, in Hugonem & Mauritium incursauit. Apparuit præ ceteris aper vastus, & horribilis, canoro grunnitu, & dentata rabie eos inuadens, quos præprope rē laniaret, nisi somnians interueniret, feramque venabulo perterebraret. Griffinus, hoc somnio exterritus, nihil, præter malum, opinione augurari potuit. Rem auunculo enarrat, quem à statu congresu, amicissimo animo, reuocare conatur: quandoquidem Ororicum, etiamsi viri boni personam, ad simulata virtute, suscipiat, aliquas sine dubio insidias Hugoni ac Mauritio machinari, etiam atque etiam suspicatur. Subridens hīc Giraldus, nepotem melius ominari obsecrauit; adiungens, cum non esse tam perspicacem somniorum coniectorem, vt eius prædictioni fidem temerè tribuat: se & Hugonem, pacto & constituto cum Ororio die, à colloquio non absuturos, ne fortè Ororicius eorum promissa repeteret, atque illos pergraueriter reprehenderet, quod conuentis minimè starent: illum non dubitare quin Hugo negotium suum, bono modo, conficeret: non esse item viri, qui animi excelsitate valet, in somniorum obstita, sagarū superstitione infuscata, pertimescere: postremò se in corum numero non nolle existimari, qui

Somnium  
Griffini,  
quod insi-  
dias irritas  
fecit.

Somniorum  
elevario.

amicos etiam somniantes plurimū diligunt, & inimicos, eosque vigilantes, non multū reformidant. Verūm hæc responsio, neruorum plena, Griffini aures non impletuit, sed suis, ad periculum capitis, præsto esse consideratissimè decreuit. Postero die Ororicius & Laciūs venerunt ad certum locum, qui collis Ororicij dicitur, comitati perpaucis stipatoribus, qui & inermi, & numero pares erant: cumq[ue] mutuo religionis iurisq[ue] iurandi nexu obstricti fuissent, ut factas inducias piē inuiolanteque conseruarent, Ororicius & Hugo se in sermonem dederunt. In hoc colloquio Mediæ princeps immanitatis suæ virus effundere, dicens, Henricum esse ini-  
Ad conuicti-  
rem deducit  
Ororicius.  
 quum in eum vindicem, non æquum iudicem, qui as-  
 tos, prædonesq[ue] in pristinam ciuis hereditatem sine caufa imimitit. Anglorum regem ad largiendum ex suo esse nimis restrictum, qui ceteros decoctores, quos lu-  
 stris & ganeis, paterna maternaq[ue] bona obligurire no-  
 uit, non nisi alienis fortunis locupletare studet. His &  
 similibus conuitiis res ab intemperato litigatore est ex-  
 tracta: ast Hugo Laciūs se totum ad lenitatem dedit, &  
 omnis eius collocutio quietis & concordiae fuit socia.  
 Ororicius contrā adeo calcitranteim, & in lacessendo pro-  
 cacem se præbuit, vt non modò concordiam, sed vo-  
 cem etiam concordiam efflagitantis repudiarit. Cùm  
 vterq[ue] parumper interquierisset, Ororicius se ab Hugo-  
 ne paullilium subducens, ad proximum clivum prope-  
 rabat, vt vesicam (vt erat hominis ingenium ad fallen-  
 dum paratum) vfinæ onere leuaret. Hanc enim disces-  
 sioni suæ latebram dedit. Eo loco, insidias proftsus ab-  
 strusas, contra Hugonem posuit. Verūm Griffinus suo-  
 rum saluti, somnio stimulatus, prouidissimè prospiciens,  
Griffihi vigi-  
lantia.

toto

toto hoc tempore, non admodum longo interuallo ab Hugone absuit. Atque ut Ororicius, si forte sub eius adspectum Griffinus veniret, magis fortunae, quam consilio aduentum eius tribueret, comitati sunt cum eiusdem sanguinis gentiles septeni, equis insidentes, omnibus praesidiis ad pugnandum parati, & Griffini salutis diligentissimi, qui ioculari ac gymnico exercitamine torneamentorum (sic enim vocant) diem consumserunt. Verum in hos ludos Griffinus animum suum non ita studiosè proposuit, quin diligente quadam negligentia oculos in Hugonem, & auunculum suum saepissime coniecerit. Connuebat nepotis sedulitati Mauritius Geraldus. Etsi enim somniorum superstitioni hominem vtcunque deditum cernebat, eius tamen industriam commendabat, quod in omni capitum discrimine, maluerit se praestare nimis suspiciosum, quam parum prouidum. Ororicius autem Griffinum adspectu non videt, aut eum nugari, non speculari autumat: quare ad conuallem, ubi multos in insidiis posuit, accurrit, armatis signum dat. Geraldus nepotis praesagitionem non prorsus spernens, ac pro nihilo putans, omnes Ororicij gestus, pronos & obliquos acris obseruat. Is ubi furentem, & volatice celeritate currentem Ororicium videt, intentatum gladium festinanter vibrat, & oscitantem Hugonem huius discribinis admonens, homicidae impetum redardare obnittitur. Ororicius recta Lacio proximat, quem securi percutere parat. At Lacij interpres (ut erat hominis, in tanto vitae periculo, commemorabilis fidelitas) corporis sui oppositu Hugonem defendit, & lethali vulnere accepto, animam egit. Insidiatorum effusiones, signo dato, tanquam apum examina, ex culis

Ororicius  
vim parat  
aperie.

Hugonem  
securi petit,  
frustra.

niculis euolant. Mauritius Giraldus, patefactis iam insidiis, maxima voce, ut Griffinus usque istinc exaudire possit, clamat. Griffinus, & sui ad hostes cursum equorum incitant. proditores, animis paruis prauisque trementes, statim atque euocatos accelerantes cernunt, regredi, quam progredi malunt. Hotum fuga non mediocrem Ororicio reformatiōnem proponit: dumque equum perturbanter, & timidē scandit, Griffinus, præpropera eruptione interueniens, eum lancea confixit, quæ plaga illius spiritum, multo sanguine profuso, exhausit. Tres Oroticij cubicularios, quos ille dilexit ex omnibus plurimū, dum eum in equum tollere voluerunt, Martis & mortis vis perculit. Facta hac strage, Britanni Oroticium obruncant, & eius caput, qui huius perfidiae ac periurij caput fuit, ad regem in Britanniam mittunt. In hoc conflictu, Radulphus, Roberti Stephanidis filius, ita se pugnacem tironem præbuit, ut natum fortissimi parentis virtus, & parentem animosi nati impigritas multum illustrarit. Interim dum haec in Hibernia geruntur, Henricus rex multiugis occupationibus implicatur. Nam filiorum impia conspiratio, tam patri quam patriæ molientium pestem durissimum ei negotium efficit. Quocirca alienissimo hoc regni tempore, animum suum ex tantarum molestiarum vinculis eximere omni studio enititur. Quippe humanæ mentes, dum curarum innumerabilitate premuntur, libera ruminatione non perscrutantur ea, quæ in consultationem veniunt: contraque maximis molibus quassatæ & oppressæ incurvescunt. Vnde contingit, sinceri iudicij actionem, ad cuius normam laudatarum rerum actiones diriguntur, saepissimè retundi, ut nec acutè in rem propo-

Griffinus in  
tempore opere  
fert.

Oroticium  
lancea trans-  
adgit.

Caput eius  
ad regem  
missum.

Filiorum  
conspiratio  
in Henrico.

sitam intueri, nec præsens agendi tempus moderari, nec quidquam in posterum valeat, salubrius prouidere. Ergo cùm in omni re, tum in maximarum occupationum concurso, aureolum illud QVATENVS, viro prudenti, & rempub. gerenti in priunis est obseruandum. Quare ne rex, in hac curarum negotiorumq. magnitudine, Hiberniæ gubernatione districtus teneretur, istud onus alteri imponere, & mentem suam ea cura relaxare decreuit. Nam si illius insulæ res in perbono statu es-  
 sent collocatae, bellum ciuile, quod contra eum filij im-  
 piè nefarieq. suscitatur, maiori otio, & minori negotio  
 confici posse arbitratur. At verò quis Hiberniæ pro-  
 rex constituendus sit, animi, nec sine caussa, pendebat.  
 Nam quò recensior, in ea prouincia, eius dominatus  
 erat, eò maiori cura, diligentiaque quis inibi cum im-  
 perio ac potestate versetur, mente & animo prospicien-  
 dum putabat. Hæc igitur fuit prima, in consultatione,  
 difficultas; vtrum ea administratio ad aliquem de Bri-  
 tannicis conuenis, qui iam tum in Hibernia habebant,  
 an ad alium, qui nulla ibi prædia possidebat, esset defe-  
 renda. Siquidem grauem difficilemque habebat hæc  
 controuersia deliberationem. Homini autem peregrino,  
 nullo vsu tractandæ reipub. imbuto, insulæ adhuc  
 vacillantis gubernacula tradere, cum summo incom-  
 modo, ac multarum rerum confusione coniunctum  
 videbatur. Ad quid huic capessenda est nondum pacata,  
 tranquillæ respub. qui eiusdem regendæ imperitus  
 habetur? Cæca est prouinciarum dominatrix inscientia,  
 & summis tumultuosisimæ seditionis periculis illa-  
 queata. Qualibus, quæso, serperastris teneram, & qua-  
 si lactentem rempub. fultam sustinebit, qui geniculatis  
 adini-

Deliberat  
Henricus de  
prorege Hi-  
bernæ.

adminiculis orbatus in eadem nondum ambulare dicit? Quemadmodum enim is nauarchus, qui nullam bene nauigandi rationem habet, à clavo ad sentinam est detrudendus, ne vectores aut æstu iactati, aut ad scopulos appulsi miserabiliter obruantur; ita necesse est, celeritima & calamitosissima naufragia fieri, vbi homines inscientes, nulliusque ordinis venas tenentes ad prouinciae munia, temeraria electione, adhibentur. Non est negotium adeò expeditum, rem pub. rectè administrare; imò haud scio, an quidquam sit, in rerum humanarum actionibus, quod in maiore labore positum videatur. Deinde etiam cùm homines minimè experti, in ignotas prouincias, bellique incendio ardentes, cum regia auctoritate veniunt, & ingenij sui magnitudini fidentes, nullius consilium exquirere volunt; quantum detrimenti incolæ sint accepturi, nemo homo non perspicuè auguratur. Nam vt mustum, seruida agitatione, extra lacus ripas effluit, ita noui rudesque prouinciarum moderatores, in rebus gerendis raro se continent, sed longius, quam expedir, euagati consuescunt. Dices, ad prouinciae consiliarios omnia referre rectores debent. Sanè quidem, si vellent, vel si recipub. senatores sine retractatione liberè loqui auderent. Sed quid, si istos in familiaritate recipiat, qui omnia ad eorum voluntatem loquuntur, & ad eam oram vela dant, ad quam gubernatorum flatum ferri vident? Regis vicarium inueniunt difficultem & austерum: iudiciorum acerbitatem non mitigandam; barbaram & effrenatam nationem, libertate immoderata, ac licentia exsultantem, durissimis legibus obligandam proclaimant. Clemens es, & naturâ mitis: nocturnis, diurnisque grassatoribus aut apertè ignoscere,

Difficultas  
administra-  
darum pro-  
vinciarum.

aut occultè suadent conniuere. Te præbes magistrum in augeūda re nimis rapaceim, & nummariis capsis auidè deditum : habes siluam magnam, in qua, si his blandis suffragatoribus, ad omnem adulatioinem compositis, vti velis, ad ciuium pecunias perbreui tempore adspirabis. Corruptrix sane est omnis salubris consilij foeda parasitorum assensio, & veritatis iudicium, simulatione officij, adulterat : nec multum laborat lingua adstricta mercede, quid sit ad famam tuam fordidum, dummodo auctoritate tua, ad suas opes amplificandas, abuti valeat. Neque enim existimationi tuæ homo sibi solum natus, non officiis, sed temporibus seruiens, studiosus cupidusque exsistit, qui te absentem minimè nouit, præsentem solummodo honorat, è prouincia decedentem deserit. Nam qui vtilitatis tantum cauſâ se ad tuam amicitiam applicat, simulatque perspiciet, se nullum beneficium deinceps foenerari posse, vela contrahet, teque in altum minimè persequetur. In exercitos ergo à gubernaculis reipub. repellamus, quamquam ipsi repelli nolunt. In prouinciis regale munus sustineant, qui eaurundem usum percallent: extranei tamen, non domestici erunt. Nam de hoc multum etiam atq. etiā considerare Hericum oportebat. Nec enim hanc orationem meam latius vagari, sed terminis illius tatum temporis circumscribi volo, quo Hiberni sub Britannorum imperium, & ditionem ceciderunt. Quandoquidem malos quosdam latinitatis interpretes non defuturos præuideo, qui singulis libelli mei syllabis, literarum tendiculis, insidiari, & omnia minima puncta peiorem ad partem verbi deprauatione rapere pertentabunt. Quare Henrici consultationem oratione expliceo, ab eius posteritate men-

tem & manum cohibeo. Quod si huic provinciali muneri nullum Britannum, qui in Hibernia domicilia habet, præpositum esse rex velit, sed Anglo doméstico, maxi-mi consilij viro, & Hibernis noto, imperium mandet, multa etiam incomoda consequuntur. Nam verisimile est, veteranos molestissimè ferre, ipsis erectum esse illius prouinciae imperium, in quam primi adienerunt, in qua scipios infinitis periculis obiecerunt. Quid etiam nouus iste præfектus adfert, quod tantus ei honos sit decernendus? Nobilitatem? Quasi verò Strangbous, Stephanides, Mauritius, & Reimundus Giraldus non sint amplissima cognatione. Virtutem? Atque hæc scilicet illis defuit, qui toties in Hibernia, ad perpetuam Hibernici nominis gloriam, triumpharunt. Experientiam? In qua cum his, qui in Hibernicis negotiis optimè exercitati sunt, nullo modo est conferendus. Fidelitatem? Quod integratatis specimen is vñquam dedit in quo primos victores superauit? Habuit in ditione sua Strangbous Dublinium, Waterfordiam, & omnem ferè Lageniam. Stephanides & Mauritius Giraldus principem locum in opido Guesfordia, iure victoriæ tenuerunt. Regi omnia, libentissimis animis, concesserunt. Quod si villa infidelitas eorum animos occupasset, satius esset, venienti regi resistere, quam iam victori repugnare. Præfigire itaque rex poterat, veteres duces, quorum animi, in hac principatus riualitate, facilimè essent irritabiles, cum ipsis Hibernis contra nouum hunc insulæ moderatorem coniuraturos. Interdum enim dynastæ prouinciales factiosi exsistunt, & depeculatores, partibus infectos, ad seditiones excitandas clam instigant: non ut regi resistant, sed ut nouo procuratori, in scditionibus

sedandis, molestiam pariant, & eius gratiam prorsus extinguant. Accedit etiam horum aduentu aliud incommodum, quod prouincialium cominodis multum officit. Cum externus homo prouinciam accipit, accolas oportet, eius benevolentiam honorariis colligere. pluribus etiam accensis, & sequestribus est succinctus, qui vocem habent venalem, quorum amicitiae fluxae sunt, & suffragatoriæ. Item eius coniunx, si constrictus sit uxore, muneribus est delinienda. Siquidem blanda est stomachantis viti conciliatrica mulier, & plus interdum, in pulchriari, nocturna calantica, quam in eo foro, in quo iuris nundinatio exercetur, vetusta membra na valet. Omnes sanè ad prouincias confluunt, eo solùm consilio, ut magnos sibi quæstus instituant, & cum in quouis loco, pecunia, rerum humanarum dominâ, plurimùm possit, tum in prouinciarû administratione, ubi omnia ad lucrum prædamque reuocantur, & summa, & sola dominatur. Iam verò cum gubernatorum imperium non sit in insula statarium, immò saepius bimui, raro amplius trium exsistat, alijque, ut moris est, succedant: omnes fortunas, quas, in captanda benevolentia, prouinciales hactenus dissiparunt, iam nunc mutatis rebus, coguntur amittere, atque nouis muneribus designatos nouisque magistratus, & eius adstipulatores demulcere. Vnde consequitur, prouinciales indigenas, ubi eorum bona, summo labore quæsita & collecta, exteri homines comesse solent, in horribiles miseras incurrere, & ponderoso inopiae egestatisque pressu intolerant in grauefcere. Hæc atque alia magni momenti argumenta (ut redeam ad id, vnde diuerti) regi, & eius consiliariis se offerunt. Tandem Richardo

hartung in  
yke bagus  
zadur ad fio  
75.

Strangboo insulae gubernationem non modò dandam, verùm etiam credendam, vna mente consentiunt. Venit itaque Strangbous ex Hibernia, regis accitu, qui tum in vrbe Rothomagensi fuit. Rex consilium suum cum illo contulit, nimirum eius fidei, sedulitatiq[ue] Hiberniae præfectoram esse coimmittendam. Respondit Strangbous, se quidem paratum esse, vt officij eius ratio postulat, regis excellenti dignitati operam, & studium nauare: tamen sine collega Hibernis moderari, illi prorsus displicere: multos se habere inuidos, qui ei iam olim graues contumelias imposuerūt, & in regis auribus illius nomine ad inuidiā vsl sunt. Quod si regiae magnificētiae visum esset, illum solum in insulam, cum imperio, mittere, hoc iniamicissimis suis ansas criminatio[n]is daret, ynde in eum, nihil perfidiæ cogitantem, odium & offenditionem conferrent, omnia etiam eius benefacta, tamquam malefacta damnatoria malevolentia reprehenderent. Quod si rex animū inducat, Reimundum Giraldum (is autem fuit, quemadmodum antè explieauit, Henrici doriphorus, apud quem plurimum auctoritatis habuit, & gratiæ) collegam ei adiungere, se quidem oblatum munus minimè recusare. Magna laude honestauit considerissimum Strangboi responsum princeps, atque vt viri integritimi industriam acueret, Guesfordiam ei, & castellum Wickloense in perpetuum adsignauit. Etenim summis viris plerumque vsl venit, vt magis in turbulentis rebus imunisci, quam in pacatis grati inueniantur. Strangbous regis secundarius constitutus, simulac Hiberniam attigit, ægras & quasi depositas omnes Britannorum partes inuenit. Nam vbi manauit sermo in Hibernia, Angliæ regem ciuili bello domi distineri, incole, quorum

Strangbous tandem gubernacula Hiberniae accipit.

Collegam &  
inspectorem  
petit Reimundum Giraldum.

Munera ei à  
rege dantur.

In Hibernia  
aduenit, quā  
repperit tur-  
batam.

Hiberni cō-  
spirant ad li-  
bertatem re-  
cipiendam.

Confilia &  
difficultates  
Anglis duci-  
bus, in resi-  
stendo.

Militum a-  
lienatio, o-  
dio Henrici.

quorum animi temporibus illis incerti erant, deposito metu, se crexerunt; libentibus animis decreuerunt, ex Britannorum laqueis fortunas suas exsuere, atque intermissam insulæ libertatem armis recipere. Bello ad hunc modum vndique renato, Strangbous & Reimundus cōsilia ineunt, quibus præsidiis hostibus occurrere, & his belli vulneribus mederi possint. Multa hīc eorum conatui obstat, atque officere videntur. Primum regis pecuniam adesam intelligunt. Siquidem isti, qui quæstores, vel potius pecuniæ publicæ auersores erant, data & accepta ad tam fallaces calculos reuocabant, ut principis ærarium planè exhaustum esset. At ibi bella geri, & tolerari nequeunt, vbi angustiæ ærarij existunt: quādoquidem neruos à corpore distrahunt, qui à bellicis rebus fiscos diuellunt. Nam si oscitans, & meridiatione torpens bubulcus in campis, aut virgetis cottidiè securus delitescens, salarium, pro quo, cum hero depactus est, iure mereatur: an non multò magis militibus diaria, attributaque pecunia, numerari debent, quorum corpora dies noctesque, inimicorum telis sunt proposita, qui cum hostibus conflictantur, qui in acie, si in discri- men veniatur, occumbunt? Nulla quidem maior, aut laudabilior fidei, & integratatis significatio dari potest, quam ob patriæ, & principis dignitatem mortem obire. Milites itaque stipendiis non adficere, nihil aliud est, quam ius ac fas omne delere. Accessit deinde huic malo aliud incommodum. Omnes Britannici milites, qui ductorem Reimundum iam olim habebant, post illius in Angliam cum rege transvectionem, Herueij sub manu erant. Is verò siue in milites durior fuit, siue nimis sordidè cum illis egit, nec pecuniam soluens, nec eos in munoup hostium

hostium fortunas incurrere permittens, in odium acerbissimum totius exercitus venit. Adeunt ergo omnes Strangboum, palamque dictitant, ipsis statutum esse, nisi Reimundum rursus eis præficiat, aut in Britanniam remigrare, aut ad hostes transfugere. Strangbous id efficit quod rogant: ad Reimundi ductum se applicant. Fausta hæc mutatio militum animos recreat. Diutius frigore non frigescunt, sed ad Ophellanos, semipiterinos hostes, inflammatis animis rapiuntur (nam depopulandi licentiam illis Reimundus permisit) prædas capiunt, & ingentibus manubiis diuturnam egestatem sustentant. Iстis territoriis populatis diuexatisque, Lefmoriain, ad spem maioris commodi deuoluti, veniunt, castra apud opidum faciunt; tectis ac mœnibus totum ferè nudant; agros, nullis resistentibus, populantur; captisque prædis decem & tres corbitas onerant. Verùm perdifficilis nauigatio eorum cursum Waterfordiam versus impedithebat. Ut primùm Corcagiae ciues tenuem de his rapinis auditionem acceperunt, duas & triginta naues firmis copiis instruxerunt, & parum secundo cursu ad Britannicam classem prouecti sunt. Britanni subito hostium appropinquatione obstupefacti, se, vt temporis angustiæ ferebant, animosè colligere, & pugnam naualem, nam èò res vocabat, in primis committendam statuere. Corcagienses, spe atque animis inflati, conglobatis proris celerrimè, & acerrimè, in Britannica nauigia inueniuntur. Illi contrà ratibus coniunctis, & contento cursu, milites suos Hibernis opponunt, in eos arcus, extensis brachiis, intendunt, impetum pilis, missilibus, sagittarumque spiculis, retardant. Vt imque acriter pugnat, Rem bellicam, in Britannica classe, mili-

Reimundū  
Ducem con-  
secula petunt.

Et impetrant

Statimque in  
hostes eunt.

Nauale præ-  
lium in lacu.

T tari

Adami He-  
refordiensis  
virtus.

Praefectus  
hostium oc-  
ciditur.

Ipsi fugiunt.

Dermicus  
ferò opimula-  
tur Corca-  
giensibus.

tari imperio administrauit Adamus Herefordiensis. Is industriae & virtutis suæ neroos in tanto discriminine intendens, cum senis decemscalnis in confratam nauim vtcunque magnam vehementissimo remigio incurrit, in qua vehitur Gilbertus, Curgerij filius, qui prætorio imperio classi Corcagiensi præfuit. Philippus Wallseus, miles Britannus, iuuenis ad rem militarem bene appositus, cum Gilberto districto ense concertat, eumque , prima aggressione, leui brachio pugnante, vita expellit. Corcagienses, prætoris interitu pernotos, horror perfundit. impetu pulsuque remorum fugiendo, saluti consulunt. Persequuntur eos Britanni, octo triremes in fuga postremas, in præda primas, remigando capiunt: nautas contumaces in aquam mergunt. Ceteri ad resistendum imbecilli, partim celeritate nauigandi euadunt, partim se in terram è dicrotis eiiciunt, fugam omni contentione capiunt. Hoc prælio viam sibi victores patefecerunt ad urbem Waterfordiam, ad quam naues suas, exsuumiis nauticis confertas, non sine magno triumpho, appulerunt. Reimundus, simulac victoria in periuagato sermone erat, viginti satellitum, & quadraginta equitum stipatione comitante, per maritima ad istum locum, ubi pugnatum erat, contra Corcagienses venit, si quos forte palantes intercipere posset. Dermicus Desinondia princeps, illas etiam oras peruersit, uti Corcagiensibus, auxiliario comitatu, dexteram tenderet. Ast Britanorum tam victoria promulgata & cognita, quam nouo aduentu suuntiato, magno animi motu perturbatus, referre, quam conferre pedem maluit. Reimundus interim, compulsiis totius territorij armentis (erant autem circiter quattuor millia pecudum) ex agris ingente hausit prædam,

prædam, quam nullis obſiſtentibus Waterfordiam ad-  
duxit. Latitarunt abditè, per hæc tempora, in siluis,  
prope Waterfordiam, nonnulli Hiberni, ad Britanno-  
tum cædem imminentes. Iſti apposuerunt de suis quoſ-  
dam bellicos excuroſes, qui prædarentur villulas vrbis  
vicinas & finitimas. Hi vt omnia diripere, atque diue-  
xare contenderunt, vicinitas v lulantibus clamoribus  
percrepuit. Reimundus, vno tantum satellite comita-  
tus, Waterfordia egreditur, & direptores equitando per-  
ſequitur. Prædones pecora compellunt ad spinosiorem  
ſiluæ ſaltum, occultatorem Hibernorum hostium. Rei-  
mundus quando nullam ſpem recuperandæ prædæ vi-  
det, in vrbem reuertere incipit. Satelles, relicto ſuo of-  
ficio, Reimundo ſe ducem præbet, & reuertentem ad  
inſequēdum acuit. Reimundus veritus, ne ſtipator eum  
debilitatis animi inſimularet (quod minimè tamē opor-  
tuit, fortis enim & animoſi viri eſt, potius ex periculo  
desperatis rebus euadere, quām præcipiti amentia ad  
necem ruere voluntariam) in iſum lucum inſidiosum,  
& audacissimorum hostium refertum, ſe committit. In  
mediis armis ſe, & adſeclam versari videt. Seruus teme-  
ritatis multam ſuſtinet, quem telis dimidiatum, inſidia-  
tores iectibus incisè membratimque lacerant, & poſt  
membrorum direptum, feris corpus dilaniandum proi-  
ciunt. Alij interim in Reimundi corpus tela immit-  
tere ſunt conati. Ille, ſtriecto geſo, iter ſibi admodum  
viriliter, & valdè mirabiliter patefecit: huic lacertos, illi  
toros, alteri caput amputauit: tandem in campeſtrem  
planitem ex densis siluis, ad properantes commilito-  
nes, abſque fauicatione rediit. Secum tamē maxi-  
mi diſcriminis inſignia duxit, nam tres ſecures in equo, &

Reimundi  
in depopula-  
tores audax  
eruptio.

Inſidias inces-  
dit.

Quas mira-  
culosè illæ-  
ſus euadit.

Reimundus  
in Angliam  
reuoacatur,  
pattis morte.

Herueius  
rerum exer-  
citui præfici-  
tur.

Omnes co-  
pia cogun-  
tur.

Duuenaldus  
Dublinij ci-  
ties incurio-  
fos opprimit.

Cæsorum  
numerus.

tres in vimbone fixas habuit. His rebus ita gestis, venit ex Britannia, qui Reimundo acerbum nuntium detulit. Significatum est enim illi, patrem eius, Gulielmum Giraldum, è vita abiisse: quocirca amici eum impensè rogan, redditum domum maturare, quò paterno funeri iusta persoluat, atque in patrimonij possessionem, quod ei satis ampliū genitor reliquerat, quām primū veniat. Reimundus in Cambriam tristis & atractus renauigauit. Post eius abituīn, Herueius exercitus magisterium sumvit. Is, quò rerum gestarum specimen, & exemplum aliquod daret, comitatus est Strangboum, cum militum cateruis, prope Cassiliam. Strangbous non ita multò pòst, omnes Britannicas copias, tam distantibus insulæ partibus positas, vnum in locum cogi imperat, vt pugnantes repugnantesque Hiberni expeditiū confici possint. Porro Dublinij ciuibus negotium dat, ad Cassiliæ confinia agmina accelerare; cuius mandata dum duces exsequuntur, casu in Ossiria pernoctant. Cùm multi hanc Dubliniensem percursionem sermonibus diuulgassent (neque enim hanc occultè ciues fecerunt) Duuenaldus, Limmerici princeps, cum expedito exercitu, coniecit se in noctem, atque hostium sternutamentis insidiatus, primo diluculo, in eorum castra improviso irrupit, & somniculosos ciues, nullis excubiis præmunitos, ita furenter oppressit, vt ceteris Hibernicis proceribus nullum atrocitatis locum reliquerit. In hac clade quattuor Ductores & quadringenti milites Oostomanni desiderati sunt. Hocrumrum disseminato, Strangbous districtus (nihil enim tam præter optatum eius accidere potuit) tamen fronte occultans mœstitiam Waterfordiam remeauit.

Dici

Dici vix potest, quantam dat hæc victoriola lætitiam Hibernis, qui elata intenti insolentia ad renouandum bellum reuirescunt. Coniurationis non modò particeps, sed etiam princeps efficitur Rothericus, Connaciæ regulus, infelissimus Britannorum exagitator. Ille signa Britannis infert, in Mediam cum exercitu firmo hostiliter peruadit, & fugato Hugone Tirello (siquidem necesse habuit, tantæ multitudinis tela & incursus refugere) castella diruit, varios pagos, succensis ignibus, inflammat: quod quidem incendium per finitiimos agros percūit, & multorum domicilia obit. Strangbous temporum caligine aduertens, his malis, priusquam longius serpent, & peiores exitus habeant, sine mora, resistendum existimauit. Et hanc incudem diu multumque tudenti, nemo mortalium appositior, ad insulam recuperandam, Reimundo Giraldo obuersatur, cuius in Hiberniam aduentum belli fore confectionem ei persuasissimum est. Erat sanè Reimundus cùm fortis, tum etiam felix bellator, atque Hiberniæ non rudis, & tiro. Ast quali incitamento, hominem secundissimis rebus domi florentem, & in domesticis negotiis occupatum, ad insulam, belli sumtibus & iacturis exhaustam, communibusque miseriis conquassatam alliciat, difficile factu videtur. Sed attende, quām argutum embolium Strangbous excogitauit. Illi fuit soror grandis, & nubilis, nomine Basilia, virgo sine exceptione pulchella, germanis ornamentorum insignibus adeò cumulate dotata, ut familiam venustas, venustatem humanitas, humanitatem castimonia plurimūn decorarit. Huius non modò amicus, sed etiam amator Reimundus fuit,

Hiberni in-  
folescūt hac  
victoria.

Quibus ca-  
put & regi-  
men, Rothe-  
ricus accedit

Strangbous  
anxius consi-  
lij.

Ad Reimun-  
dum reuocā-  
dum inclinat

Quem, ma-  
trimonio so-  
toris promis-  
so, pertrahit.

dus fuit, seque Strangboo putidiusculum petitorem, de sorore collocanda, saepenumero præbuit. Procrastinauit hactenus, impediuit numquam coniugium Strangbous: sed iam nunc cum se tantis periculis cinctum perspiciat, hoc hamo pisces, escæ audiissimè inhiantem, capiendum sentit. Scripsit ad Reimundum, breui tempore post patris decepsum è vita, epistolam, amicissimi desiderij plenam; ea verò hanc habuit suminam.

## RICHARDVS STRANGBOVS

Littere  
Strangboi  
ad Reimun-  
dum.

REIMVND O GIRALDO,

S. P. D.

» SI non animi tui magnitudini, mi Reimunde, plus tribuerem, quām communī hominū conditioni tribuendum censerem, communī etiam modo dolorem tuum consolandū iudicarem. Verūm cūm tua te virtus, contra omnē mundanarū rerū impressiōnēm, adeò tectē armarit, vt dissipabilis naturā fragilitatem, si non æquo, saltem forti animo, tolerandā scias; non mihi assumendum putabam, vt sus Mineruam, id est, vt Strangbous Reimundum, lugendi modum facere, philosophorum, seu potius Christianorū more, perdoceret. Ab his ergo abeo, quæ virtutis tuæ præconēm, non debilitatis consolatorem postulant: ad Hiberniam venio, quæ tuum aduentum summo desiderio exspectat, cuius incolæ te absente facultatem bellandi arripiunt. Vereor, vt omnia nobis teterim cedant, nisi quām primūm te ad nos reperis, & præcipitanti reipub. subueneris. A te igitur maximopere, mi Reimunde, etiam atque etiam peto & quæso, adfictis, & abiectis

abiectis tuis necessariis, qui vehementer te requirunt, & perpetuum communium fortunarum propugnatorem agnoscant, plures ac praesentes vires dare, & in primis Basiliam, sororem meam, atque vxorem, simul atque hoc te conferes, tuam, quae tui profecto desiderio oblanguet, teque, quantum virginalis verecundia patitur, mente ac complexu tenet, ab hostium insidiis, & telis eripe. A denicalibus ad nuptias, ab inferiis ad hymenæum, à viscerationibus ad genitalem lectum confestim aduola: ut tristiculam tuus redditus recreat, cuius abscessus haec tenus adfixit. Ad te scriberem verbosiorum epistolam, nisi tua prudentia contractiorem postularet. Vale, Basiliæ amorem ama, ad eam appropera.

Accerrimos Reimundo stimulos istæ litteræ admouebant, quandoquidem non tam sedentem erigere, quam omnibus celeritate præcurrentem videbantur incitare. Copias itaque in Cambria contraxit, in quibus eius consobrinus Meilerius, principem locum obtinuit, cum aliis triginta equestris ordinis viris, qui illum aliqua cognitione attigerunt. Duxit item sub signis centum stipatores equestris, & trecentos sagittarios. Mox cursu usus secundo, in tredecim veliuolantibus nauigiis mare transiens, Waterfordiam milites transportauit. Hic dies non potuit non pulcher videri Strangboo, & reliquis Britannis, qui Waterfordiæ consedebant. Nam posteaquam ciues Britannorum res in angustum venire perspexerunt, militum cædem, in clamdestinis colloquiis, eructorunt, omnesque ad unum Britannos necandos trucidandosque tempore oblato denotarunt. Verum ea ipsa hora, qua res in manibus futura erat, ecce tibi Reimundum, ad dubia reipub.

Reimundus  
accingitur  
ad expedi-  
tionem, &  
kopias con-  
scribit.

In Hiberniā  
venit.

Periculum  
Anglorum  
eris oppor-  
tuno aduen-  
tu diligendum.

tempora

pota referuatum, in portu nauigantem videbant. Cuius fortunatus ad urbem accessus ciuium furori finem, nouo timori principium adferebat. Reimundus, conspiratione manifestò inuenta, atque deprehensa, Strangboum armatis cateruis bene comitatum, ac à metu communis cædis respirantem, ex hostili ciuitate Guesfordiam perduxit. Frecello, Waterfordiæ custodi, dum in lintre Strangboum vrbe egredientem proficitur, remiges vim & manus adferunt. Quo scelere perpetrato, interfectores relictis transtris, Watersfordiam incredibili celeritate, conuolant; se cum aliis homicidis consociant, Britannis in publicum prodeuntibus, atque adeò domesticis parietibus se includentibus vitam admunt; singulis tam fæminis, quæm pusionibus necem offerunt. Verùm Britanni, qui in arce Reginaldi, quasi in statu præsidio, erant constituti, perfidis falcariis, dum arcem attenant, pugnacissimè se opponunt. Hostes turris ianuam saxis cædere, lapidum coniectu fenestras frangere; faces ardentes in tecta iactare. Britanni eorum impetum excipere, tela depellere, furorem reprimere, incisione arcem liberare. Tandem post grauem vrbis disturbancem, coacti sunt ciues, ab armis discedere, atque duriores, quæm hactenus, pacis conditiones accipere. Reimundus autem, ne connubium, ad quod iamdiu, insaniens ferè ob amorem, exarsit, rebus ex Strangboi sententia constitutis, intercalaretur (quippe intimæ calliditatis est, amantem ludificare) exercitū in ullam adducere expeditionem recusat, antequam Basiliam in matrimonio habeat. Tam huic orationi fauebat Strangbous, quæm qui maximè nihilque temporis amantibus prorogari passus, sororem ad se arcessit, quæ tum Dublinij

Strangbous  
Waterfor-  
diam deserit.

Ciues aperte  
desciscunt, &  
vim Anglis  
adferuant.

Angli in ar-  
ce se defen-  
duant.

Ciues tandem  
ad pacem co-  
acti redeunt.

Reimundus  
ad nuptias  
properat.

blinij consistens, lectis fratris litteris per amanter scriptis, Guesfordiam cursim petit, multis amicorum grecibus, & pedissequis, quæ illi ancillabantur, stipata. Ne multis, nuptiali solenitate sponsi sponsa efficitur. Quod coniugium exoptatissima totius exercitus gratulatione celebratum est. Postridie cum lucesceret, Reimundus à coniugis aspectu, aut potius amplexu se eripiens (nam commune regni stabilimen priuato oblectamento anteposuit) Dublinium versus viam, cum omnibus copiis, direxit. Etenim Rothericus, sicut ante exposui, magnam in Media demolitionem fecit, & ad Dublinij dispersionem, illo tempore, accelerauit. Nam urbem solutam, & praesidio nudam esse, recentes nuntij, qui speculandi caussa in eam irrepserant, post redditum declararunt. Verum simulac Rothericus veterem Hibernicorum armorum domitorem, & id temporis nimis potentem, appropinquantem resciit, in ultimas Connaciæ sedes se coniecit. Reimundus in Mediæ iter facit, ibi diruta castella reconcinnat, concusso opidorum muros reficit. Hostium ferocia edomita, & compressa, tota insula nonnihil vacuitatis à bellico tumultu habuit. Ast Herueius, inuidiæ aspide ad mentem admota, auëtam exaggeratamque Reimundi fortunam immodicè tulit: atque ut in intimam hominis fortunati familiaritatem se penitus imingereret, & eius consiliis exploratis, facilius ei obesse posset, occultum virus affinitatis integumentis obuoluendum statuebat. Quocirca Nestain, Mauritij Giraldi filiam, fretus Reimundi benignitate, cuius erat consobrinus, sibi despontit. Herueius, si Giraldo Cambrensi fides adhibenda sit, erat veterator perquam versatus, artificio dissimulandi mirabiliter

Eæq. Guesfordiae confectæ.

Reimundus  
Dublinium  
properat, cū  
exercitu.

Terrore solo  
omnia pacat.

Herueij oc-  
cultum odiū  
in Reimun-  
dum.

Affinitas eius  
subdola cum  
eodem.

Praui mores  
& ingenium  
Herueij.

Quem vbiq.  
infectatur  
Giraldus hi-  
storicus, ne-  
scias an satis  
sincerè.

biliter eruditus. Verè, an secus, pro certo affirmare non queo. verisimile tamen mihi videtur, Herueium Giraldi voluntatem lèssisse, quandoquidem in quauis ferè libelli sui paginula eius famam omni contumelia attingit. At si depravatos hominis mores sincerè expresserit, historici integritatem, religionemque plurimùm laudo: sin domestici odij publicos testes colligere voluerit, maledicam bacchandi calumniam multùm reprehendo. Sed de hoc satis superque scriptum puto: redeo ad cetera. Gulielmus Giraldus, Mauritij filius, Reimundo

Guilielmi  
Giraldi nu-  
ptiæ, cum  
Alma Strag-  
boi filia.

hoc negotium præcipuè procurante, harum enim nuptiarum auspex erat, cum Alma Strangboi filia, Euæ, vxoris secundæ priuigna, matrimonio se copulauit. Atque hac affinitate, omni ex parte arctius adstricta, victores, maiori animi alacritate, & voluntatis confensione, insulæ præsidia in posterum munire, bellicas res maturare, hostium copias depellere ac dissipare confidunt. Præterea Strangbous Mauritium Giraldum, ex Cambria, in Hiberniam reuocauit, atque eum Offaliæ atque Wikloniæ hereditate per liberaliter munerauit: pari item possessione Meilerium, & geminos Herefordenses fratres donauit. Hæc dum in Hibernia geruntur, Henricus rex interea, tametsi plurimis negotiis distractus & obligatus fuit, propter varias belli ciuilis tempestates, tamen aliquam curæ & consilij sui partem in Hiberniam deriuauit. Iohannem Salisburensem, qui non multo post Carnotensem pontificatum obtinuit, ad Adrianum Pontificem Maximum, Anglia etiam oriundum allegat: à quo priulegium regis nomine, Iohannes petit, cuius via auctoritate rex omne conatum adhibere fidem dat, Hibernicam rem publ. constituere, insitam barbariam

Salisburien-  
sis ad ponti-  
ficē legatur,  
pro confir-  
matione do-  
minatus Hi-  
bernicus.

ex agre-

ex agrestium moribus delere, & quod caput est, conferre leges Catholicæ fidei consentaneas. Nam multi tum in Hibernia vitam degebant, quibus aut sacra mysteria magna ex parte ignota erant, aut superfluentibus, & inter se discrepantibus cæremoniis deuoti, magnam religionum confusionem habebant. Assensum præbuit Adrianus Henrico, in tam Christianum negotium operam curamque impendere. Eum pontificio diplomate Hiberniæ Dominum designauit, quem honorem aureo annulo ad regem missio approbavit. Hic dominationis titulus in Henrici Secundi posteritate semper permanxit, usque eò dum Henricus Octauus, suffragantibus publicis insulæ comitiis, primus Hiberniæ rex appellari coepit est, cum à patris morte annum tum tertium & trigesimum regnasset, qui fuit post Christum natum 1541. Missus est in Hiberniam, cum hoc priuilegio, Nicolaus Galingefordensis, gymnasij Malmesburiensis præfectus, & Gulielmus Aldellini filius, sed præcipue Iohannes Salisburiensis: qui, conuocato Waterfordiæ antistitutum concilio, pontificias litteras publicè recitauit. Verùm hæc regiæ auctoritatis confirmatio politicos Hiberniæ principes in officio continere non potuit. Siquidem Duuenaldus, Limimerici rector, perinde ac si pacis & quietudinis pertæsum esset, conflato latronum ac proditorum tumultu, ab Henrici imperio subito defecit. Postquam Reimundus de hac coniuratione nuntium accepit, bellicum canere, & exercitum coepit armare, in quo, præter Hibernos qui officium & fidem secuti à regis partibus erant, sequens Britannorum numerus arma gerebat. Centum & viginti equestris ordinis milites, armigeri, seu satellites equestris trecenti,

Diploma su-  
per eo impe-  
rat.

Quis pri-  
mum regni  
titulo in Hi-  
bernia usus.

Litteræ po-  
tificis recitat-  
ur publicè.

Duuenaldus  
ab Anglico  
imperio de-  
ficit.

Expeditio  
Reimundi  
in eum.

sagittarij quadringenti. Rebus ritè constitutis, Reimundus alaudas suas prope Limmericū perduxit, circiter calendas Octobris, vt perfidam ciuitatem quā ferro, quā famæ suffocaret. Limmericēs, partim quōd ciuitas muris fuit armata, partim quōd cellas, & horrea habuerunt

Limmericū  
copiae adducit.

magno frumenti hornotini numero repleta, nihil magnopere, ysis Britannis, metuerunt. Verūm iuuenes prædæ, & direptionis cupidi, urbem attentare, quoquo modo se res haberet, statuebant. Militiæ sacramēto obligatus erat iam tum, in Britannico exercitu, Dauid Walsheus, Reimundi nepos, militari laude, & si externa ista naturæ libraimenta ad rem pertinent, egregia formæ dignitate antecellens. Is primus omnium salutem suam in discrimen offert, quippe calcaria equo admouens, in flumen bene rapidum delabitur, quod, non sine intuentium stupore, auspicio transhat. Veruntamen nō recta, sed obliqua & tortuosa via, hic atq. illic sensim incedit, & ea diligentī indagatione, equus, in quo erat, vadū repperit. Istud idem commilitonibus, signo dato, declarat. In eandem viam, quoad potuit, ingressus est Galfridus, audax ad conandum eques, verūm cùm parum cautè ambiret, torrentis voragine submersus est. Hic fatalis casus non retardauit Meileriū, tacita aëmulatione instigatum. Etenim multis angoribus implicabatur, qui antea, in rebus difficillimis, primus haberi solitus est, in hoc discrimine, tertius numerari. Is itaq. equo calcaria adhibens, in profluentem se coniicit. Cùm aduersam adscendere ripam cogitasset, paludati ciues, partim ex urbe euolantes, partim in murorum præsidiis consistentes, telorum tormentis, & lapidum emissionibus, eum continentis aditu arcebāt. Duo itaq. hostium genera Meilerium vexarunt: ciuiū iacula,

Davidis  
Walshei au-  
dax facinus.

Galfridus  
submersus.

Meilerius  
eiusdem ta-  
men audacię  
comes.

Quem ciues  
conferti in-  
vadunt, &  
proturbant.

& amnis

& amnis violentia, è quo emergere, propter hostium concussum atq. impetum, non potuit. Milites trans fluum clamorem sustulerunt. Reimundus, qui in ylta turma fuit, harum rerum inscius (nam cum homines adolescentes hunc conatum celabant, in quo militaris disciplinæ fines transibant) ad ripam accurrens, statim ut nepotem vidit, in tanto capitinis discrimine versari, totum exercitum hac oratiacula est affatus. Fortissimi viri, animos adferamus, qui huc corpora adtulimus. Videmus diuinam benignitatem nobis, in nostris rebus, certam & præsentem operm ferre. Cernimus (quod nouum, & ante hodiernum diem inauditum est) peruias transitiones, nostrorum virtute, in his vndis, patefactas esse. In eandem viam nos demus. Hoc bellicus honor rogat, comilitonis periculum postulat, nostrum officium efflagitat, imò verò sacrosancta diuinitatis maiestas illud ipsum à nobis exigit. Antegrediar, sequimini. Hoc factis, quam dictis perficiam libentius. Longiorum cohortationem veltra quidem virtus repudiat, præsens autem celeritas breuiorem desiderat. Attente auditis, quæ dicco, animosè imitamini, quæ facio.

Atque hic simulac perorauit, equum calcaribus ad vitium ressecans, ex ripæ margine in aquam præcipitauit, quam, cauta frenorum moderatione, transiuit. Reliqui equos in flumen dimitunt; multi pedestres enatant; ad terram omnes salui, adspirant; duos excipio armigeros equestres, & Guidonem militem, qui in transitu, fluctibus obsiti, in profundo demersi erant. Britanni cum debito ordine, & dispositione militū, in muros, vehementissima contētione virium, incursant; multi demoliuntur parietes, nonnulli piñas scandunt; alij fores effringunt;

Reimundus  
ad auxiliā  
dum fuos  
hortatur.

Ipse Reimundus in flumē se demisit.

Itemq. torus exercitus, è quo tres submersi.

Opidum eodem impetu capiunt.

repagula conuellunt; ciuitatem introeunt; per medias hostium turbas peruadunt; vicos corporibus ciuium confernunt. Complures in ædes fusi profugiunt; ad expugnatorum pedes strati iacent, illis se dedunt. Quibus rebus fortunatè confectis, & militibus ad virbis præsidium sub ductu Milonis Meneuensis relictis, Reimundus in Lageniam lætus ob partam victoriam reuertitur. Attendendum est hoc loco, vnum insigniter diem, Hibernis perpetuò infestum, & quasi fatalem illuxisse. Limmericum, die Martis, Britanni expugnabant. Eodem die, obsessos Limmerici milites obsidionis periculo liberare: quod paullò post intelligetur. Die item Martis, Guesfordia fuit dedita: die Martis, Waterfordia ab obsessoribus occupata: die Martis Dubliniensis ciuitas armis oppressa. Hæc quidem notatio vnius diei & animaduersio, diuinantibus, qui natalitiis prædictis superstitione sunt illigati, magnam disputationis materiam daret, Martis maiestatem suo præcipue die in castris fataliter dominari. Verùm Seruator noster, dierum fabricator & moderator, qui in sua, non in siderum potestate vnumquodque temporis punctum collocauit, sola numinis sui prouidentia tales euentus ita ordinat, vt eius clementiam victores agnosceret, iustitiam autem vieti pertimescere debeat, quorum calamitas non ex stellarum instinctu, aut fati omne, sed ex putidis vitiorum cloacis profluere est putandum.

Ceterum Reimundi, eiusque gentilium, cum felicitatem, tum virtutem mirari satis nequeo. Felicitatem, quod omnia eis in quovis conatu optimè processerunt: virtutem, quod Hibernos, homines absque dubio (ne eis, qui temporibus illis vixerunt, nihil tribuamus) natura non timi-

Dies Martis,  
quasi fato  
quodā, Hi-  
bernis sem-  
per infelix.

Supersticio  
tamen in eo  
non ponēda,  
aut astrorum  
vlla vis.

Reimundi.  
felix virtus.  
in Hibernia.

timidos, vsu bellicosos, multis partibus plures, in quo quis prælio, in omni dimicazione, semper peruerterunt. Vnde perspicue intellegi potest, graue istud conuitum, quod ex Gilda se sumissæ testatur Polydorus Virgilius, nihil, præter calumniam & vanitatem continere. Cambrenses, scilicet, seu Wallos, nec in bello fortis, nec in pace fideles esse. Hoc tantum abest à veritate, vt nihil veritati magis aduersetur. Quicunque in Britannicæ vetustatis monumentis exquirendis studium suum collocabit, facillimè comperiet, Wallos, in omni memoria ætatum & temporum, tum domi fidelissimos, tum militiae valentissimos euasisse. Atqui hoc Polydorum sagacem Britannicæ antiquitatis inuestigatorem, minimè fugisset, dummodo in veterum aduersaria oculorum aciem acutius intendisset. Sed qui de industria inuidiæ squamis pupillam obcæcat, nō mirum est, si in rebus perspicuis, & in communi hominum sensu positis, lippire videatur. Admonuit me hîc historiæ integritas, in hunc sermonem delabi, & Wallorum famam, quam falsò alij laedunt, verè defendere. Atque vt maxima illa, & posteritatis memoriæ commendatissima bella, quæ alibi peruarie gesserant, prætermittam, cùm non mei instituti sit, ea scriptis illustrare & celebrare, ipsa malevolentia eorum laudes, in Hibernicis negotijs, extenuare nō potest, qui ea fidelitate in pace vixerunt, ea fortitudine in prælijs dimicarunt, vt omnes insulæ locos & lucos, Wallici nominis gloria, implerint. Sed vt ad genorosam illam Reimundi Giraldi stirpem, & quasi virgula diuina circumscriptam, oculos conuertamus, externa corporum linimenta, orationis penicillo depingere, animorumque studia lectori indicare, huic loco alienum non erit. Fuit

Reimun-

Polydori in  
Cambrenses  
conuitum.  
Polyd. Virg.  
lib. i. Angl.  
Histo.

Id refutat.

Forma & ef-  
figies Rei-  
mundi.

Mores & in-  
genium.

Meilerij de-  
scriptio.

Reimundus Giraldus vir longæ & proceræ staturæ; mul-  
tum cincinnatus;cæsis ac eminentibus oculis præditus;  
natum habuit incuruatū, & leuiter à medio inflexum:  
vultus erat familiaris,& vt plurimū idem.Craſſo fuit cor-  
pore:verūm membrorū tarditatē animi virtus compen-  
ſauit:ſumma vigilantia , belli præſertim ardore:ad præ-  
liorum euentus mirificè felix exſtitit: ita etiā induſtrius,  
vt fortunā nauitas ſuperarit. Nihil non cogitatō & con-  
ſultō pertinentauit, in his rebus,quæ ad reipub.ſalutē, aut  
interitum ſpectabant:non multi cibi,nec delicati homo:  
inediæ admodū perferens:vestibus pompā pro derelicto  
habens:in algēdo,æſtuandoq. patiens:profuit militibus,  
quibus præfuit: quorū mira erant ſtudia erga eum , quo  
ſemper carebāt ægrius.Nemo in amicitia comior>nullus  
in odio capitalior:& vt rē in pauca cōferam,nihil ei dee-  
rat,quod ad impigrū bellatorē,& peritifſimum ducē per-  
tinebat.Verūm Meilerius erat ſubcriſpo capillo;nigris &  
toruis oculis,acri & ſeuero vultu;ſtatura perpuſilla. Fa-  
brica membrorū fuit tolerabilis; ſumma corporis graci-  
litas,tamē neruofſior.In bello audaciā hominis magis re-  
prehenderes,quām virtutē desiderares. Fuit enim miles  
nō ſolūm strenuus,ſed etiā fortis. Mentē ei natura dedit,  
tam acribus gloriæ ſtimulis concitatam,vt citius alienæ  
laudis fructū percerperet,quām quidquā de ſua delibra-  
ret.Veruntamē iusta reprehēſione nō caruit,quòd Chri-  
ſtianū ſanguinem, nō inſolita militibus atrocitate,extra-  
modū,profuderit.Nec verò his duobus viris florētiſſima  
familia laudes suas terminauit; quandoquidē Robertus  
Barrēſis,Milo Meneueſis,Robertus Meilerius,alterius,vt  
puto,frater germanus,Reimūdus Hugo, Maūritij Giral-  
di filij,& plures alij eiusdē arboris rami in domos ac fa-  
milias suas ſempiternā bellicę vitutis memoriā intulerūt.

RICHAR-

RICHARDI STANIHVRSTI  
 DVBLINIENSIS DE REBUS IN  
 HIBERNIA GESTIS,  
 LIBER QVARTVS.



T verò insidiosa omnium benefactorum famula, inuidentia, compressum & constrictum malevolentiae suæ virus diutius non potuit continere. Nam simul atq. Herueius perspexit, Reimundi nomen magis ac magis augeri, fortuna & felicitate hominis commotus, varices ferè dirupit, atque maximis quibusdam vinculis affinitatis laxatis, omnem vim ingenij in præpotentis viri exitium, pessima, & infidelissima mente, consumxit. Clam ad Henricum regem litteras, acerbè & asperè scriptas dedit, in quibus Reimundi nomen detulit: illum in Hibernia omnia populariter agere, publicam pecuniam dilapidare, incolarum plausum istis humanitatis illecebris captare, ut vendendum sit, ne de fidelitate sua deflectat, atque hominem, mutationis rerum cupidorum, auxilio fretus, regem à reipub. gubernaculis deiiciat: illum non ita pridem Liimericum recepisse, imò verò ciues urbis principatum yltrò ad illum detulisse. Cùm autem plus roboris eius ambitioni pedetentim, & gradatim accesserit, credibile esse, eum officio suo ac muneri defuturum, & ad regis imperium, in prouincia delendum, exercitum maleficiosè conflaturum. Quare cùm istam perfidiam à Reimundo metuerit, maximè conuenire officio suo existimauit, regem huius proditionis quam' celerrimè

Herueius  
clanculum  
admodet  
Reimundi  
famam, apud  
regem.

Accusat vt  
defectorem,  
aut defectu-  
rum.

admonere, se esse sanguinis, non sceleris Reimundiani affinem; personam in sinu, atque in delitiis habere, crimen detestari; nullam coniunctionem eum à principis partibus, quoad spiritum & vitam duxerit, disiuncturam. Quamobrem ad diuturnitatem regiae dominacionis in primis expedire, hunc seditionis stimulatorem, insulæ imperio imminentem, in ipso ambitionis suæ exorsu, ex omni dignitatis gradu præcipitare, & sine vlla mora, ei summittere. Iis & eiusmodi malevolentissimis querelis, regem suspicione incendere, aliquam sibi bonam gratiam quærere, Reimundi potentiam criminari Herueius conabatur. Rex his litteris experrectus, (nam grauem ei suspicionem excitarunt,) statim est ad ductus, ut hæc omnia Herueio crederet. An quòd, in lœfæ maiestatis delatione, omnis accusatorum oratio aditum ad principum aures facillimè habeat? An quod propinqua affinitas, quacum Reimundo Herueius se coniunxit, maiorem ei fidem faciat? Etenim plerique affinium, ac consanguineorum sclera libenter reticere solent. Ceterū dupliciter, in hac criminazione, peccauit Herueius; primum, quia necessario suo, fidelissima gratia ei coniuncto, acerbissimam iniuriam, minimè lassitus intulit; tum deinde, quòd publica auctoritate, ad satiandum priuatū odium, perfidè abusus fuit: quo vno nihil sceleratus, nihil perditius, in omni bene constituta repub. obtingit. Nam cùm homines, intra legē viuentes, legis præsidio armari debeant, tu quis es, qui bono bonorum præmia adimere, aut cui minimè malo malorum supplicia proponere audeas? Nam hunc optimè sentientem ciuem, quem intolleranda tua insolentia amicum tibi esse non permittit, regis inimicum fraus

Rex nimis  
credulus ca-  
lumniis.

*Excursus in  
calumniato-  
res bene me-  
ritorum ci-  
vium.*

tua efficiet? Quid enim? vulticulum tuum subire nolui; voluntatem tuam fortasse offendere. Quid tum inde? Num ideo legum reticulo me illaqueabis? Quid? Qui apud regem, aut legem nullo modo prorsus offendere, mente perduellionis reum proclamabis? Tu gratia, auctoritate, opibus flores: alter infimae sortis, integri tamen capitis homuncio æreo innocentia muro se vallat, ad aram legum, ad tuos impetus reprimendos ac retardandos, confugit. Num igitur in repub. tantum tibi arrogabis, in virum, nihil fraudis facientem, imò nihil scleris cogitantem, & ciuilis officij non ignarum, venenata acerbitalis tuae tela coniicere? Aut ciuem, à legibus dignitū nusquam discedentem, lege, sine lege, tanquam maleficum mirmillonem iugulare? Neque enim propterea tua voluntas ab illo abhorret, quod fraudem capitalem admisit, sed ideo in hominem innoxium crimina fingis, quia tuas inimicitias suscepit. Tales quidem hominum pestes non modò à quauis libera, & iuris æquabilitate fulta repub. penitus sunt exturbandæ, sed etiam infra omnes inferos amandandæ. Nam quo iure tolerari debet, qui impia eruptione integratem oppugnat? Etenim nihil omnium rerum innocentia præstantius: siquidem hæc patrona tutatur inopes, firmat diuites, iuuentutem recreat, senectutem ornat, tranquillitatem adfert, fortunas conseruat, omnia iniqua pericula, in quauis composta & constituta repub. à ciuibus propulsat. Vbi hæc non valet, ibi leges non vigent, ibi omnia diuina & humana iura perueruntur. Magno igitur opere, omnes qui ad gubernacula reipub. sedent, prouidere debent, ne præposteri, & immanitate efferati emissarij in viros, innocentia tectos, & legibus septos, odium iniquissime

struant & in primis ne iuris oportamento domesticas inimicitias tegere, & velare audeant. Hoc si Henricus secum reputaret, Herueij querelas facile opprimeret, contraque de Reimundi fide atque integritate dubitans, quattuor inquisidores, bonis omnibus summe probatos, in Hiberniam, abiecta omni cunctatione, legabat. Hoc autem negotij illis conficiendum dedit. Primum, totius Hiberniae statum, curiosis oculis, inspectare, & occultos, si qui latitarent, coniurationis mæandros sagacissime odorari, quinetiam, in ipsum cubile, Herueio duce, venire, regem insuper de omnibus rebus, cuiusmodi sunt, certiore facere. Tum deinde, omnia consilia, de Reimundo, clausa habere, nullum verbum de immutata regis voluntate facere, hominem comiter appellare, perbenigne alloqui, regis studium prolixè illi polliceri. Ad extremum, vnum aut alterum, de eorum collegio, constituere, qui prima nauigatione in Angliam cum Reimundo transmittat. Horum nomina fuerant

In Hibernia  
veniunt.

Robertus Poerus, Osbertus Herloterius, Adamus Gernemuthius, Gulielmus Bendengius. Regis mandata isti exponunt: eisdem Reimundus, egregia animi alacritate, dicto audiens est. Nec vero sine causa. Nihil enim virum, in vita grauitate, & integritate excellentem, magis in omni fortunæ vicissitudine solari ac laetificare potest, quam conscientia optimæ mentis seipsum sustentare. Dum ergo in maritimis ventum Reimundus expectauit, bellum subito exarsit. Quippe nuntiorum sermone perferebatur, Duuenaldum, Tomondiæ principem, foedera rumpere, & Britannorum statum labefactare. Haec omnia satis testata esse confirmabant, quia contra milites, qui Liminerici relicti erat præsidij causa, exercitum

Motus ar-  
morum ite-  
rum in Hi-  
bernia,

Four  
inquisitors  
miss in Hi-  
berniam.

Four  
inquisitors  
miss in Hi-  
berniam.

Four  
inquisitors  
miss in Hi-  
berniam.

exercitum duxit, quin etiam ad mœnia accessit, vrbem armatis sepsit. Quamobrem periculum esse, ne obfessi, fame dominante, extremum spiritum effundant, nisi commilitones hostium copias, sine retardatione & mora dissipent, & sociorum salute in columitate inque defendant. Strangbous cum militibus rem communicat. Illi vno ore, in yllam expeditionem, nisi sub Reimundi ductu, pedem inferre renuunt. Militarem hanc suffragationem ad inquisidores Strangbous retulit. Illi, sumto spatio ad cogitandum, tandem consilio, post longam deliberationem, mutato, Reimundo bellum commiserunt. Hoc enim, eo præsertim minus bono tempore, non solum oportebat, sed prorsus etiam necesse erat. Britannorum numerus hic fuit. Octoginta equestris ordinis viri; equites stipatores ducenti; sagittarij trecenti. Præsto fuerunt magnæ Hibernorum cateruæ, qui, testificandæ debitæ obedientiæ gratiâ, Britannicas partes suscepere. Primi horum euocatores habiti sunt Murchardus, Kinceliæ gubernator, & Duuenaldus, Ossiriæ princeps. Britannorum aduentu exeunte, & in vulgus emanante, Limimerici obfessores Cassiliam versus, cum exercitu, progrediuntur, arctissimam viam, propinquam finitimamque opido præoccupant, truncos, secuti opportunitatem loci, decussant; operibus munitionibusque præsidia incingunt. Posteaquam Reimundus accepit, iter longuriis interpositis esse interceptum, hostesque fossa & vallo redimitos includi, nonnihil temporis, vno aut altero die intermisso, ad prælij comparationem distulit. Rebus ritè constitutis, Reimundus milites decuriauit. Cum omnes in procinctu fuerunt, Duuenaldus Ossiriæ rector, qui suum auxilium Reimundo ad-

Milites in  
solum Rei-  
mundū pro-  
ni & prōpti.

Cui bellum  
commissum  
est.

Copie An-  
glicane.

Hostes rece-  
dunt ab vrbē  
obfessa.

iunxerat, & qui Duuenaldum Tomundiæ principem  
 acerbè & penitus oderat, ita Britannos est adloquutus.  
 Duuenaldi  
 Osirienfis  
 oratiuncu-  
 la. Victores valentissimi, qui nostram insulam, non tam  
 cursibus, quām pœliis, illustratis; etiam atque etiam  
 considerate cum vestris animis, in quantum discriminem  
 hodierno die vobis incidendum sit. Cauete, vestra lan-  
 guescat virtus. Si Tomundienses euerteritis, quod mihi  
 maximè in optatis est, totum hoc ad communem no-  
 strum fructum, qui isdem in armis sumus, redundabit;  
 & quorum latera vestri mucrones non perforabunt; eo-  
 rum corpora nostræ secures, sicut officia sodalitatis po-  
 stulant, cæsim lacerabunt. Verùm si fracti & debilitati  
 animos contraxeritis (quod deus omen auertat) verè hoc  
 mihi videor esse vobis prædicturus, nos, qui contra ho-  
 stes à vestris partibus stamus, cum hostibus bellum con-  
 iungemus, & contra vos armati congregiemur. Nam  
 cum animis statutum, ac deliberatum habemus, ad vi-  
 ctores, singulari animi inductione & voluntate, concur-  
 rere, vicitis & reformidantibus nos, nostrasque vires op-  
 ponere. Quamobrem cùm hoc vobis antè denuntiem,  
 agite viriliter, vt soletis, intendite neruos, reuocate vires;  
 prius de quavis fortunâ excipienda, quām de fugâ cogi-  
 tate. Nullus est locus ad tergiuersandum. Absunt longè  
 veltra effugia, adsunt propè hostium tela.

Quam ad fi-  
 nem has mi-  
 nas Duue-  
 naldus iacta-  
 uit. Totum hoc callidus ad astutias veterator subdolè &  
 versutè dixit, non quò Britannorum virtuti diffideret,  
 sed vt hisce minis inflammati, si quas fortitudinis acu-  
 leos reconditos ac sopitos haberent, iam eos inter dimi-  
 candum exfererent, & in hostes erigerent. Nihil enim  
 ei potius fuit, quām Duuenaldi ruinam, quo cum diu-  
 turnam simultatem gessit, intueri. Ergo vbi perorauit,

Meilerius,

Meilerius, qui primo agminī præpositus erat, Tomundiensium stationem; machina admota, hostiliter verberat: & fragmentis septorum deiecit, ac funditus euulsis, fit via vi. Hostes contra impressionem Britannoruim, omnibus neruis, contendunt, vi vim illatam repellunt, verumtamen parùm viribus conatuque inualent. Nam Britanni, vt erat hominum propria & perpetua, in Hibernicis præliis, felicitas, arcubus sagittas emittunt, hostes de præsidiis, iaculoruim multitudine, depellunt, & maxima Tomundiensium vi enecta, insignem victoriā consequuntur. Atque hæc cædes & occisio (quod quidem euentum, quasi aliquo fato obtigisset, superstitione sagæ permirum videretur) die Martis facta erat. Peruasit illius diei victoria in singulas Hiberniæ oras, & omnibus, qui alieni erant ab imperio Britannico, timorem ac desperationem iniecit. Quin etiam Rothericus, Connaciæ praefectus, & Tomundiensium dux Duuenaldus (voluntate hostes, necessitate supplices) legatos & deprecatores ad Reimundum, de concordia constituenda, miserunt. Ambo, uno eodemque die, sed non eodem loco, cum Reimundo, de pace, sunt collecti: atque obsidibus datis, adfirmatè promiserunt, quin etiam conceptis verbis iurarunt, in Henrici potestate, & ditione permanere. Per hos dies exsecrandus quidam furor Cormachum, Dismondiæ principis natum, inuasit: nam non modò contra patrem arma tulit, sed etiam de eius exactione totus cogitauit. Murchardus pater, his rebus allatis (neque enim hæc occultè filius fecit) nuntios ad Reimundum legauit, qui pestilentissimas dementissimi filij machinationes illi enodarent, eius item fidem, & opeim implorarent. Nuntij Reimundum & precibus.

Tomundiens  
ses vieti.

Rothericus  
& Duuenal-  
dus pacem  
petunt.

Filij contra  
patrem con-  
spiratio.

Reimundus  
Murchardo  
superias fert

precibus rogare, & præmiis inuitare, vt Cormachi ferociam comprimat, & à Murchardi capite proditoris impetus terroresque depellat. Porrexit seni calamitoso fidem dextramque militarem Reimundus, qui cum exercitu, prope Corcagiam excurrens, adfectum illud intestinum bellum confectum reliquit, & vt Murchardus, cum usitata auctoritate, regnaret, perfecit. Verum post militum discessum, Cormachus in perfidiâ, instinctus furore, perseverans (nam qui semel officij sui lineas transiit, eum insigniter improbum esse, iterum atque saepius videmus) pacificatoria legationis tegmine proditionem occultans, credulum patrem cepit, atque in carcerem coniecit. Captiuus in ergastulo non diu includebatur,

cum paribus paria referens (neque enim adeò notabiles iniurias impunitas & inultas diutius esse voluit) percussorem, ad cædem faciendam, proposito auctoramento, subornasset, qui Cormacho comprehenso, & confosso patrem è vinculis emisit. Atque ad hunc modum proditio, malis initii exorsa, tristes habuit & exitiales exitus. Hæc dum aguntur, interea redditæ sunt Reimundo à coniuge litteræ, quarum sententia fuit, Strangboum fratrem vitam cum morte commutasse. Hoc tamen verbis, subobscuros explicatus habentibus, argutula vxor marito significauit. Nam si vel tenuis huius rumoris aura subito efflaretur, verendum erat, vt tota insula bellum Britannis, communi conspiratione, indiceret & denuntiaret. Intellexit tristificum vxoris ænigma Reimundus, & sine mora Dublinium censuit aduolandum, partim ut rempub. (quæ Strangboi morte in extremum pænè discrimen adduci videbatur) armis teget, & consiliis stabiliret, partim ut præsentia sua demortui exse-

Murchardus  
pater per na-  
ti infidias ca-  
ptus.

Cormachus  
occiditur.

Strangbous  
moritur.

tui exsequias cohonestaret, cuius cadauer enisceratum, & vnguentis, ne subrancidum putresceret, delibutum, vsque ad Reimundi redditum domi insepultum iacuit. Etenim Strangbous, quando testamentum moribundus fecit, sepulturam in Reimundi aduentum differenti iussit. Verùm enim uero Reimundi animus anxiferis híc curis suspensus erat. Nam necesse habuit, dispersas per insulam Britannicas cohortulas in Lageniam compellere, quoniam conductis copiis melius, quam dissipatis, regnum firmari, considerauit. Quod si, reductis Limmerici custodibus, urbem ciuium tutelæ committeret, credibile erat (cùm, in exulceratis animis, fraudis & perfidiæ reliquiæ vt plurimum resideant) eos in posterum Britannorum imperium repudiatores. Quare cùm hæc ei accurata consideratione de liberanda atq. concoquenda sint, prudentioribus, qui iam tum Limmerici erant, & quorum taciturnitatem sàpè est expertus, Strangboi mortem secretò impertit, tum etiam, quid in his angustiis explicandum sit, consiliat. Post longam disquisitionem, vna est adfessorum vox, nullos Britanos Limmerici relinquendos, sed omnes in Lageniam reducendos: alioquin rem publ. in magnum periculum adduci, non solum ob mortem Strangboi, sed etiam, quod magis ad caussam pertinet, propter subitum ipsius Reimundi discessum, qui in Angliam, ex praescripto regis, iam cogitabat. Limmerici autem imperium statuunt ad Duuenaldum, Tomundiæ præfectum, differendum. Horum languido consilio vtitur Reimundus. Duuenaldum accersit: cui, vbi eum ad obedientiam integratatemque grauiter & sententiosè hortabatur, vrbis custodiā commendabat. Arripuit Duuenaldus impe-

Duuenaldus  
Tomundiæ-  
sis Limmeri-  
ci præfectus  
constituitur.

Y rium,

rium, omnia prolixè & religiosè promittens. His rebus malè contractis, Britanni se Limerico proripiunt. Commodùm autem transgressi sunt pontem, cùm eo à tergo interciso, ciuitatem ex omni plagâ flammis non fortuitis, sed oblatis conflagrantem videres. Atque hoc impurissimum periurij & infidelitatis specimen, proditor ingratificus dare voluit. Dolet erratum suum Reimundo, et si non voluntatis, sed necessitatis erratum erat. Nam credulitas per prouidi cuiusque mentein peragrare potest, atque ut quisque est castissimus, ita alios perfidos esse, difficiliter opinatur. Sed ut ad prima redeam, tandem usque Dublinium Reimundus venit, & Strangboi funeri veste mutata, operam dedit. Sacra eo die summa religione confecit antistes Laurentius, quibus peractis, humatus est Strangbous, magnis & solennibus ceremoniis in fano sacrofanciae Trinitati dedicato, quod Christi delubrum communiter dicitur. Erat Strangbous vir subrufus, perpusillus næuis interpunctus, cærulei oculi, amabilissima oris dignitas, cuius exsuperantiâ vix ullam formosissimis fæminis pulchritudinis laudem relinquebat. Vox mollis, ceruix modicè contracta, longum & procerum corpus; in beneficiis remunerandis nusquam tardus; facultatis exitilitatem voluntatis largitate compensabat; fortis vir & experiens; in gestione negotij diligens; togatus obsecundare potius, quam imperare voluit; armatus imperare totus, obsecundare noluit; non ita tamen, in rebus gerendis, sibi confidebat, quin tectos homines consuleret, quibuscum suos sensus propensiè coniungebat; otium bello, multis gradibus, prætulit: atque hæc pacifica optio, & à bello reuocatio ex iudicij firmitate, non animi abiectione effluxit. Inter ancipites belli

Dunenaldi  
perfidia.

Strangboi  
descriptio.

belli euentus eandem, saltem ad speciem, mentis æquitatem præ se tulit: ne aut victor, hostibus superbis, aut vicitus, commilitonibus abiectus videretur. Vix apud regem gratiosus, semper inimicorum plenus vixit. Ex Eua vnicam sustulit filiolam, quæ Isabella vocitata est, bella & mellita virgo, pudore ac disciplinâ munita. Hæc annos ad deceim & quattuor nata Gulielmo, Comiti Marescallo, nupsit. Secum in Hiberniam Strangbous filium adduxit, adolescentem mirifica virtutis in dñe præditum. Huic, vt à maioribus posteritas accepit (nihil enim, in hac narratione, præter auditum habeo) Strangbous pater vitam abstulit. Hæc est facti subiecta ratio. Posteaquam Hiberni Lageniam, Britannorum armis, deuictam videbant, ne ceteras insulæ partes sub imperium ditionemque suam homines extranei subiungerent, supra modum incolæ verebantur. Proceres, communis libertatis propugnatores, rem cum consiliis, diuturnis cogitationibus euigilatis, prospicere, magnum & exitiable bellum consociati apparare, vti grauem Britanniæ mali molem à ceruicibus depellerent. Cum Strangbous de hac coniuratione plenè planeque cognouit (neque enim erat obscura) contra Hibernos, prœliis promulgatis, exercitum comparauit. Strangboi filius, cum vix iam primam pubertatem attigisset, primigeniis bellicæ virtutis scintillulis accensus, ad patrem acie instructa accedere, & genu terram suppliciter tangens, eum maiorem in modum obtestari & obsecrare, ne illum præsentis gloriæ occasione priuet: priuaret autem, si eum, ab unius turmæ ductu, & primo conflictu, eo die, auocaret. Respondit pater, eum esse pusionem perimbecillum, militiae adhuc insuetum, hostes multitudine esse infinitos, &

Strangboi filius quam obcaussam à patre occisus.

tos, & viribus etiam Britannicis cohortibus, nisi eis diuina benignitas opitulari dignetur, longè superiores. Quod si is, in prima excursione, in qua sæpenuimero virtusque partis salus aut interitus agitur, ad metas formidolosus hæreret, aut hostium tela & incursum refugeret, illi drepentè ingressi in spem victoriæ, incredibili lætitia exsultarent, & effrenata ferocitate concitati, in ceteras turmas se ingurgitarent. Quocirca, inquit, nate, vide quid agas; apud animum propone, in quantum discrimen te, & totum exercitum voces, introspicias in gentilitatem tuam, cuius splendorem nulla ignauiae labecula hactenus maculauit. Quod si in hac militari præfectura (quam vt accipias, non suadeo; neque item vt reicias, iubeo) aliquid timidè pueriliterque gesseris, hoc tibi verè adfirmo, ego ipse, qui vitæ tuæ, secundum Deum, fator fui, mortis profecto auctor ero. Ista ergo, inquit natus, lege, in prima turma velitari licebit. Bene habet, ego omnem timiditatis culpam sustinebo. Quare forticulus peradolefcens, bene sibi fidens, & parua equitum stipatione comitatus, incitato equo immisit se in hostes. Hiberni istam equestrem exiguitatem flocci facientes, ante victoriam de Britannis triumphant, & coaceruato agmine, in hominem adolescētem celerem progressionem, falsa spe inducti, faciunt. Ille hostium aduenientes impetus nulla dimicatione frangere potuit: quare sc, & suos turmales ex eorum telis eripiens (parum enim absfuit, quin ab hostibus exciperetur) in paternum gremium, contrà quām proposuerat, tanquam ex turbine aliquo in portum, plenus formidinis, profugit. Parens ira excanduit, & vnicum filium, districto ense, adeò violenter subter vmbilicum secuit, vt viscera

&amp; exta

& exta ab adolescentis alio, sanguinem miserabiliter stillantia, proflucent: atque ita confectus & saucius vitam dimisit. Seueritatem hanc nec dilaudare licet, nec reprehendere, in præsenti, libet: sed ut ut erat, Strangbous furibunda mete incitatus, nihilo segnius ob interfectum filium, sed multò acrius pedem, cum suis, in hostē inferre, & terribili sauitia pugnantes, ac vulneribus concidentes prosternere, fundere, occidere. Abesse enim nō potuit, quin in aduenientes hostes durus, & truculentus fuerit, qui in fugatum filium acerbè seuerus exstigit. Hoc à Giraldo Cambrensi obliuione obscuratum miror, cūm tamē omnium sermone celebratissimum sit, & Strangboi monumentum, quod in sacra Trinitatis æde etiam usque ad hoc tempus, exstat, huius facti memoriam significantius repræsentet. Etenim ibi videre licet lapideum sepulchrum, Strangboi statua, è marmore sculpta, coopertum: cui è sinistro latere adhærescit secti filij tumulus, eiusque simulachrum in marmore incisum, ubi vtraque manu ilia supportat. Corruit magna pars huius templi, circiter annum salutis 1568: quā ruinā vetus illud monumentum fuit deformatum. Statim atque templum reædificatum erat, Henricus Sidneius, vir antiquitatis amantissimus, qui iam tum summæ reipub. præfuit, coactis fabris, marinorum parentis & nati tymbon singulari opere artificioque interpolandum curauit. Vixit tunc temporis sannio facetissimus, cui nomen Calus fuit, in omni dicacitate, si quis vñquam aliis, planè Roscius. Statim atque hic facetus scurra accepit, columnas & fastigium templi concidisse, eaquē ruina Strangboi sepulchrum fuisse dirutum, dixisse fertur, hinc casum nihil admirationis habere: Illustre, inquit, notumq.

Henricus  
Sidneius Hi-  
bernæ præ-  
fectus Stræg-  
boi tumulū  
reædificandū  
curauit.  
Calus san-  
nio facetus.

sutoribus, & zonariis omnibus est, Hibernos à Strangboō edomitōs esse & compressos. Cūm igitur, quo ad vixit, patriæ nostræ funus exstiterit, neminem mirari oportet, si Hibernica ligna & faxa tumulum, qui corpus Strangboi contexit, quasi quodam inexpiabili odio, & naturali dissidio instigante diruperint. Huius sermo omnis politissimis dicteriis refertus erat, in quibus nihil erat frigidum, nihil domo ablatum, sed omnia sale factiisq. ita aptè perspergebat, ut nullum uspiam Diogenem in apophthegmatum lepore, & festiuitate, conditorem iudicares. Verū hīc, cūm veteres annales Richardum Strangboum, in subigenda Hibernia, principem ponant, hoc epitaphio demortui memoriam celebrandam putauit.

Strangboi  
epitaphium.

*Victor es, & victus: sed rursus victor haberis,*

*Victor & invictus, tempus in omne manes.*

*Victor Hibernorum, per prælia multa, fūisti,*

*Victus & à saeo vulnere mortis eras.*

*Non tamen est aliquid, per quod mors ipsa triumphet,*

*Rursus ab invicto victa superba viro.*

*Ista tuum corpus naturæ lege subegit,*

*Vicit vetricem splendida fama grauem.*

*Hæc invicta manet, sed & hæc invicta manebit,*

*Offa sepulta iacent, non tamen acta tacent.*

*Dum non acta tacent, Strangboi fama manebit,*

*Fama manet mundo, mēnsque beata polo.*

Strangboi exsequiis omni solennitate cohonestatis, procuratores, qui à rege in Hiberniam, ad inquirendum in Reimundum, missi erant, cautè & diligenter dubios ac ventosos Hibernorum animos, præcipue atroci ac difficiili reipub. tempore, considerantes, coniunctis sententiis,

tentiis, regiam in insula potestatem Reimundo Giraldo, tanquam fidelissimo & experientissimo viro, permitunt. Siquidem res, nuper gestae, promptae fidei & integritatis perspicuum ei testimonium dederant. Credibile etiam esse existimant, magnum tumultum reipub. inieictum fore, si iam ab incolis semigrauerit. Quare eo in prouincia relicto, phaselum condescendunt, ac prospero fauonij flatu vni, mare transeunt. Etsi autem illi Henrico regi declarabant, quanta nuper Reimundus bella gessisset, quam firmiter & constanter officij sui rationem conseruasset, & mutandi consilij iustas caussas, ratione que attulissent: tamen Gulielmus, Aldelini filius, vir neque usquequaque stultus, neque perfectè prudens, insulæ praefectus est assignatus. Huic rex confessores, adiutori resque adiunxit Iohannem Curceum, durum & rigidum bellatorem, & Milonem Coganum, qui iam integrum biennium, tum in Britanicis, tum in Gallicis bellis, industriam, ac fidelitatem suam regi promptam expositamque præbuit. Cum primum Reimundus inaudivit, tres siros, quadraginta militibus stipatos, ex alto in Hiberniam prouectos esse, obuiam illis, cum maximo ornatisimoque comitatu, processit, & de illorum aduentu, deque triumviratu illis gratulatus, magistratu abiit. Dum Guesfordiam versus iter coniunctim habet, Reimundi gentiles, ferocibus equis aduecti, gymnicis cursibus iuueniliter se exercent. Qui sanè adspectus inuido Aldelinidis animo non mediocrem dolorem inuissit, & ad eos, qui in eius famulatu erant, conuersus, Cernitis, inquit, hanc Giraldidarum magnificentiam? Quantam pompam adferant? Quam insolenter se effrant? Quam gloriösè incendant? Quam regio apparatus se

Reimundus  
Hiberniae  
gubernator  
relinquitur.

Inquisitores  
in Angliam  
reveruntur.

Gulielmus  
Aldelinides  
Hibernie  
prator con-  
stitutus.

tu se nobis venditent? veruntamen si vita suppeditauerit,  
 ego horum fortunas dissipabo, ita ut nullum præsentis  
 dignitatis vestigium relinquatur. Hoc non modo dixit,  
 verum etiam paucis post diebus quantum potuit, fecit.  
 Omni enim rabie & acerbitate Giraldinorum  
 familiam insectatus est. Sed cum diuina prouisione ef-  
 fectum eset, ut plus voluntatis ad nocendum haberet,  
 quam facultatis, non poterat, eam feraciorem stirpem,  
 quæ admodum altas in Hibernia radices egit, & patulis  
 ramis per insulan se diffudit, fodicantibus maleuolen-  
 tie sarculis extirpare. Per hæc tempora Mauritius Gi-  
 raldus, graui morbo oppressus morte Guesfordiæ obiit:  
 in quem diuina bonitas maxima & prudentia &  
 doctrinæ ornamenta congesit. Vir erat staturâ non admo-  
 dum celsâ, sed erectâ; caput habebat nigris capillis coo-  
 pertum; in hominis vultu singularis quedam grauitas  
 pellucebat. Nam vt hominem antea nunquam vidis-  
 ses, tamen eum ex ore prudentissimum diuinares. Nulla  
 in fronte nubecula; nulla ruga, sed sereno semper, eo-  
 demque vultu; barba procera, tenuis tamen & fusca,  
 collum peruenustum. Largas habebat, & prolixas pal-  
 mas, digitos articulis & commissuris egregiè combina-  
 tos, cum vnguis, laudabili proceritate eminentibus;  
 apta fuit utriusque pedis compositio, & ne multis morer,  
 ab imis vnguis ad summum verticem nitidissima cu-  
 te circumclusus erat. Verum corporis dignitatem animi  
 virtus excellebat. In omni vita modû & mediocritatem  
 tenuit, grauitatem sine morositate amplectens, dicacita-  
 tem, absque scurrilitate, frequentans; unde hoc inter fa-  
 miliares suos fuit adsecutus, ut omnium grauissimorum  
 hominum facetissimus, facetissimorum grauissimus ha-  
 beretur.

Mauritij Gi-  
raldi mors.

Eius descri-  
ptio.

beretur. Vir, ut temporibus illis, non indisertus, & plus etiam quam non indisertus, omni diligentia Laconisnum adfectauit; orationis pigmēa despexit: rationis moimenta multi existimauit, infantein prudētiam verbosæ stultitiae præponens. Vir sapientis consilij fuit. In explicanda sentētia tardus, verū certus, in omnes rei propositæ partes acutissimè introspicere solitus, perinde ac si abditos, ac intimos negotij recessus meditata circumspectio- ne peragraret. In acie bellicosissimus, armis positis, quietissimus, nusquam animorum desertor, offenditionem fa- cile accepit, acceptam citò depositit, quæ agilitas, & natu- ræ mollities in eius posteritatem deriuata fuit. Ceterū mortui patris viua memoria relictos liberos ab Aldeliniana expilatione non vindicauit. Vix enim parentalia peracta erant, cùm fratribus fortunas, contra ius fasque, in suam rem conueritens, de illis non conquieuit, donec castellum Wickloense ex eorum manibus eripuit. Sic voluit, sic potuit, sic effecit. At ne Britannicos conuenas in se dicaces redderet, Fernasiā, villam pusillam, nullo præsidio munitam, & in hostium ore ac fauibus posita, germanis fratribus, compensationis ergo, donauit. Etsi verò ea sedes nimis periculosa erat (nam Hibernici direptores habitatorum vitas inibi appetere impunè po- terant) tamen Giraldini fratres locum incolere, & prout res postulabat, castellum, longâ operâ insuntâ, construe- re, quod substructionum magnis molibus sustentatuim, ac sepibus vndiq. circumdatum, multum firmitudinis, ad grassatorum impetus frangendos habebat. Castella- na hæc costructio vicinos Hibernos in magnas pertur- bationes coniecit. Nam talibus munitionibus sparsim fixis, & stabilitis, se breui non solum reprimi, sed etiam opprimi

Aldelinidis  
erga Mau-  
ritij filios in-  
iuria.

Giraldiz  
castellum  
Fernasia cō-  
struunt.

opprimi posse, acri & sagaci mente, praeuiderunt. Verum cum armis fabricam demoliri minimè auderent, ad Gualterum Alemannum supplices veniunt, & eum ligationibus corruptum ad castellum in totum eradicandum inducunt. Gualterus erat Aldelinidis nepos, homo nullo numero, planè perditus ære alieno. Ast auunculus aduersam Gualteri fortunam non solum leuare, verum etiam honestare cupiens, ei Guesfordia imperium dedit, & alios in eum honores effudit. Is, vt cognatione, ita viperinis mōribus Gulielmo Aldelinidi proximus & geminus fuit. Hunc vt Hiberni muneribus deimulserunt, haut scio, quā cretulā cauſsam dealbavit, sed castellum, vbi iam ad tectū ferē peruenit, solo exæquari imperauit.

Quod quidem certissimum continebat & iniustitiae & perfidiæ argumentum. Nam vel parietis tectoriolum, inuitio poffeffore, aſcia abradere, & multò magis structuram funditus demoliri omnino iniurium erat. Quid porro amplius ad rem publ. labefactādam facere potuit? Siquidem sociorum firmamēta cuertere, nihil aliud fuit, quām vincētibus accolis hastas ministrare. Ex quo sanè intelligitur, nihil eſe tantis munitionibus firmatum, quod non pecuniā attentari, & comminui possit. Præterea Reimundus Giraldus possessionem habuit, in quibusdam agellis fertilissimis, non ita procul ab opido Guesfordia sitis. Aldelinides non contentus prima illa iniuitate, sed aliam inimicitarum cauſsam quærens, manus rapaces Reimundi fortunis infert, inuitū ex prædio exterminator detrudit. Ad hæc, Gulielmus à rege mandatum accepit, vt publico auctoritatis ſubſidio, Robertus Stephanides, cui eximios honores mandare conſtituerat, amissam in Ophillania possessionem ſine mora

Gualterus  
Alemannus  
Giraldidis  
aduersatur.

Castellum  
Fennianum  
ſolo exæquatur

Aldelinides  
Reimundus  
iniuria ad-  
fuit.

vsurparet. Tantum absuit ut Gulielmus mandata efficerit, quæ recepit, ut Hibernicâ pecuniâ emtus & retardatus, Stephanidis negotium procastinavit. Quocirca simulac Hiberni perspexerunt, hominem auaritia ardentem, administrandæ prouinciarum principatum tenere, ad illius aulam, tanquam ad mercatum, se conferre, & iudicia ab illo cottidie nundinari. Ex quibus licitationibus breui consequens erat, ut Hiberni Britannos, demersis legibus, pecuniâ oppugnarent, aliena patrimonia, incolumi domino, retinerent, vieti in cultissimis agris residerent, victores, non caussâ, sed tempore oppressi, vastis & desertis fundis, exili ac macro solo circumclusis, inhärenterent. Harum iniuriarum fastidiosus Iohannes Curceus, Aldelinidis collega, audire quām spectare easdem maluit. Quadruplatoribus itaque cum egente hoc, & sordido gubernatore Dublinij relictis, ad Vltoniam, quadrangentis ferè militibus comitantibus descendit, in qua primus ex omnibus Britannis pedem posuit. Ex quo effectum erat, dum alia Hiberniæ territoria, calamitosis funestisque prœliis premebantur, nullam belli partem in hanc portionem peruaississe. Quod ipsum percommodè Curceo accidit. Nam quanto minus aliorum expilationi, direptioniq. Vltonia patuit, tanto maiorem pecuniarum aceruum indidem auferendum sperauit. Quartiduo, quo Vltoniam versus viæ se commisit, ex Vrlienisi territorio discedens, postridie mane ad Dunensem ciuitatem, prorsus imminutam, adeò inexspectatus penetrauit, ut ciues, metu vacui, Britannicas copias in Vltoniam influere minimè somniarint, usque eò dum, in variis partibus vrbis disturbatis, buccinarum clangor prima luce intonuit. Dunenses itaque cum nec pares, nec

Iohannes  
Curceus VI-  
toniam, in-  
uadit.

Dunum ex-  
pugnatur.

præparatas copias ad conflagendum habuissent, coacti erant, repentinam & inopinataim incursionem deuitare, aut ad direptorum clementiam, perditis vitæ rationibus, confugere. Fæminarum gemitus, querela, clamor, fuga. vrbis præfectus Dunlenus, non rufis imperator, ubi obfistere, ac hostes arcere non potuit, ex eorum telis, per pseudothyrum, evasit & erupit. Milites, effractis & euulſis ianuis, domos exinaniantur; in ciuum pecunias inuadunt: absconditas arculas perscrutantur; quibus spoliis miseras ac diuturnas egestates explent. Euenit, ut Viuianus, Romanæ sedis legatus, à Scotia euectus aportatusque in Vltoniam, Duni id temporis, relaxandi animi cauſa, diuersaretur. Is ciuum, & ceterorum Vltoniæ ſum vicem dolens, ad Curceum pacificator venit, quocum magnis precibus egit, ab armis proflus recedere. Nam si ei placaret, cum Dunleno fœdus icere, & cum toto territorio pacem habere, Vltonienses in ſe recipere, tributa Henrico regi, in singulos annos, perfoluere, & ſe totos Anglico imperio deinceps dare. Verum Curceus acri acie dispiciens, primum hunc introitum fauſtè feliciterq. ſibi & ſuis eueniſſe, reipſa omneim pacem repudiauit, verbis tamen pontificium legatum blandiſſime accepit.

**Curceus pacem oblatam repudiat, & qua superstitione cōmotus, obſtinatē ſe gerit.**

**Merlinus Magus.**  
† Lib. 3.

Ex his radicibus nata fuit haec Curcei confidentia, qua ſibi Vltoniæ expugnationem desponsam eſſe, & quaſi ex æterno tempore destinatam, persuasit. Primùm Merlinus Magus, cuius futilitatem † antea peruellimus, Vltoniæ euersionem, ut putabatur, antedixit, formam, & naturam corporis, atque adeò amictum & insignia bellatoris expressit, qui huius victoriæ coryphæus foret. Deinde adductus eſt Curceus, ut crederet, D. Columbam, virum planè pium, Hibernicis litteris yaticinatum,

Vltoniam,

**Dunlenus  
Duni præf.  
Rufus fugit.**

**Viua-  
nus  
Romanæ ſe-  
dis legatus,  
pro Vltoniæ  
ſibus pacem  
à Curceo pe-  
tit.**

Vltoniam,fatali euentu, superandam fore, atque depri-  
mendam. Atque hic libellus ita in amore ac deliciolis  
Curceo erat, ut vigilans eum non dimitteret è manibus,  
ad dormiendū proficiscens,eundem sub cubicularis le-  
cti puluino collocaret. De S.Columba,viro veridico,nō  
disputo,qui cælesti instinctu concitatus, nescio quid ca-  
lamitatis præfigere potuit. Diuinus enim adflatus, vbi  
vult, spirat, & humanæ inscientiæ caligine discussa, eo-  
rum mentibus futura , extraordinario priuilegio , quan-  
doque præsignificat, quorum animos, à concretione ter-  
rena seuocatos, numinis sui maiestate sacrare dignatur.  
Verùm Merlini insulsitas omniū irrisione illudi debet.  
Ille nescio quid de candido equo, de pelta pictis auibus  
repleta, & quibusdam aliis nugatoriis notis somniauit.  
Atque hoc quidem loco, annalium nostrorum tabula-  
rium peruvoluens risum vix continebam, cùm legerem,  
Curceum, ineptis Merlini hariolationibus ductum, pri-  
mùm in amictu,deinde gestu,deinde scuto,deinde albo  
equo, se totum Merlino, vsq. eò plenè accōmodasse, vt in  
Vltoniam, tāquam personatus coīcedus, aduolarit. Ca-  
su,inquiet aliquis: imò sanè compactò. Nam cùm su-  
persticio per se facilè in animum improuidum penetreret,  
tum istis præstigijs mentis aciem libētius perstringimus,  
quarum triumphalem euentum audiē exoptamus. Sed  
vt reddamus, quæ restant, vt primùm Dunlenus intelle-  
xit,castris rem geri oportere , sibi aliquot diebus sumtis  
ad bellicas rationes confirmandas, omnes vires in Vlto-  
niæ libertatem defendendam contulit. Quare conglo-  
batis congregatisque decem millibus virorum Dunum  
cingere statuit. Ast vbi hostium consilia, ex peruvagato  
hominum sermone, rumor ad Curcei aures attulit, post

Merlinus re-  
prehenditur,

Dunlenus  
contra Brita-  
nos exercitū  
comparat.

aptam & militum & signorum instructionem, progressus est in propatulum campum. Nam optabilius ei fuit, in aperto prato pasciari, quam viribus in omnibus, tamquam cingulis coactari. Ultonienses, ut est hominum genus natura & vsu valde bellicosum, nam consueti in armis æcum agunt, visis Britannis, non timidè ac diffidenter, sed ordinatè & audacter processum efficiunt. Alter exercitus alteri appropinquat. Clamor tollitur, præclium initur. Britanni Ultonienses sagittis configunt, Ultonienses Britanos hastarum coniectionibus, & crebris lapidationibus appetunt, atq. ubi cominus accedunt, Britanni lanceis & gladiis, Hiberni securibus acriter, & vehementer depugnant. Nulli parti militaris virtus deest, sed victoriae elargitor, Deus, Curceum Ultoniensium dominatorem, euersis ac prostratis hostibus efficit. Atq. his quidem in pugnis virtus enituit egregia Roberti Poëri, barbatuli iuuenis, cui omnes Britanni, secundum Curceum una mente & voce, palmam dederunt. Atque eam virtutis laudem, rebus in Ossiriæ, & Lechelinæ cōfiniis, paucis post diebus, animosè gestis, iuuenilis bellator meritissimò geminavit. Quinque, in veterum rerum monumentis, commemorantur notabilia prælia, quæ cum Ultoniensibus Curceus cōmisit. Primum hoc erat, de quo iam explicatum est. Alterum sub sequente æstate, etiam propè Duni iunioris, ubi, quindecim millibus Ultoniensium fractis & deuictis, Britanni decesserunt superiores. Tertium non procul à Fernia, in qua pugna, extremam belli fortunam Curceus subiit. Nam cum in illo territorio prædas fecisset, militibus suis, ab hostibus exceptis & intersectis eâ ex pugnâ vix se, & undecim commilitones eripuit: atque in ipsâ fugâ, coactus erat, amissis equis per triginta miliiorū

Præclium.

Ultonienses  
victi.  
Robertus Poë-  
ri virtus.

Quinq. no-  
tabilia præ-  
lia cum VI-  
toniensiibus  
Curceus cō-  
misit.

liariorum interuallum se & suos defendere à continuis hostium cursibus, qui fugatorum persequétissimi erant: & biduum cum contubernalibus iejunus, pedester, armatus, fatigatus, itineri infesto, & periculoso se commitens, incredibiles molestias, summo animi labore deuorans, tandem ad turrim suam incolumis peruenit. Quo cuento tanquam miraculi admirabilitate, & eius ætas, & omnes posteri obstupefacti manus sæpe sustulerunt. Quartum ferut in Vriliæ finibus obtigisse, in quo complures Britannos, quod glomerati in hostilem turbam nimis festinanter se coniecerunt, Curceus amisit. Postremum iniuit propter ponte Luoriensem, posteaquam Etesiarum diebus, ex Anglia reuersus est. Sed istam dimicationem ei Deus fortunauit, in qua integras hostium copias, parua confictione, repressit. Quia victoria constituta, in Vltonia, tantis bellis superata, multum quietis habuit. Per angustè hæc referfit, in cōmentariis suis, Geraldus Cambrensis, quo magistro breuitatis usus, eadem per quam breuiter perstringenda, atq. attingenda putauit. Dum hæc in Vltonia geruntur, Viuianus, cuius mentionem modò feci, conuocato Dublinij antistitutum concilio, religiosis decretis promulgauit, eos, qui ad posterum, in quacunq. Hibernia particula, contra Henricū regem arma fumerent, à fidelium contubernio, primo quoquo tempore seiungendos fore. Et quoniam apud Hibernos iam olim in more positum erat, in tumultuosa rerum perturbatione, bona & fortunas ad templa transportare, in quibus, tanquam in religioso effugio, ab expilatorum rapinis liberantur, nunc yero commeatum in delubris veluti in cellâ penuariâ subdolè ad hunc finē recondunt, ne Britanni cibaria mercari valeant: cunctis concilij sententiis

Viuianus legatus concilium Dublinij celebrat.

tentiis decretum erat, Britannis tempore reliquo, quoties in expeditionem eunt, fas esse, modò alimenta aliunde nec pretio, nec precariò suppeditant, rei frumentariæ inopiam templi custodibus cōmunicare, & penus indidem numerato auferre. Hoc interim spatio, Milo Coganus, qui rursus Dublinij magistratum habuit, in vrbe, instar desidiosissimi cessatoris, vsque obtorpere noluit. Saraca, clitellaria iuméta, saccos vicinis aurigis imperauit. Militibus ergo primoribus quadraginta, adfectatoribus equestribus ducentis, & 300 sagittariis coaceruatis, Cónaciā ante istum diem, à Britanicis cursibus & victoriis vacuam, infestis signis inuasit. At Connactenses, qui hæc tenus refutati potius bello, quàm laceſſiti erant, simulac primūm intellexerunt, Britannos eorū bona ad prædam proposuisse, vbi properantem exercitum excludere non ita citò valuerunt, hostium consilium, hoc modo, præuenire. Vſus eos erudiuit, in Britannorū consuetudine esse, non tam viros & mulierculas proterere, quàm domos & pecuniarias pixides compilare. Quare ex vicinorū spoliis ita sibi prouident. Nulla præsidia ad Britannorum aduentum opponunt, contraq. omnibus arcis euersis & extersis, illibatos theſauros, in effoſſis terræ visceribus, adeo altè humant, vt eos olfacere Britanicī indagatores non valeant. Magalia, celeri excisione, complanant, ædibus flammam subiiciunt; signa ac tabulas pictas ex delubris tollunt; deniq. ipſos templorum parietes nudos ac deformatos reddunt, postremò, in omni loco, notas & vestigia exuſtionis relinquunt, ac vastos & desertos agros hostium potestati permittunt. Triduo quo hæc gesta sunt, Britanni prædae ſpe prædicti, ad populatas atque abſumtas Connaciæ ſedes peruenere. Verūm vbi perspexe-

Milo Coga-  
nus Connac-  
tiana inuadit

Connacten-  
ſium Strata-  
gema.

runt, incolas locum illis reliquum, non modò ad prædas, sed ne ad penus quidem fecisse, reuersi sunt Dublinum, cum clitellis, nullis exsuuiis, nullis pomparum ferulis ornatis, sed vacuis sarcinis tantum onustis. Verùm in reditu Britanni in periculū ac discrimen vocati erant. Nam dum illi, totâ prouinciâ, circumcursant, intere à Rothericus, multitudine hominum coacta, castra habebat in loco, siluestribus sepibus denso, paratus Britanos intercipere. Quibus redeuntibus se in conspectum dat, atque instructo exercitu, milites in cataphractas hostium copias immittit. Britanni, cùm nulla ratio ad resistendū sit, in fugam, pugnæ similem, cautè & tectè se conferunt, prosequentium impetum auertunt; tres tantummodo equites amittunt; multi Connæctenses in acie cadunt, complures vulnera excipiunt. Eodē anno Henricus rex Gulielmum Aldelinidem, in capiendo & conciliando pecunias præcipue occupatum, de Hibernia deuocare, propterea quod neq. regi, neq. plebi mercenarius gubernator se probabat. Fœdè & fôrdidè se in prouincia gesit. Nullum respectum ad iuris æquabilitatem, nummulis acceptis, habuit, æqua cum iniquis, sine vlla religione, confudit. Reipub. inimicis amicus, reipub. amicis inimicus, hodie læderet, quē herè laudabat; in huiusmodi inconstantiâ solùm constans, durus in illos, quos vlcisci valeret, clemens in eos, quibus obesse non posset, oratio melle dulcior, cogitatio felle amarior, tantus & talis perfidiæ ac simulationis architectus, ætate sua est cognitus, ut communem dissimulatorum appellationē quodammodo efficerit suam. Ad suminam, istis iniuriis, ex quo prouinciam retigit, totam insulam, avaritiâ hians, cumulauit, vt non mirum fuerit, si incolis tristè horribilemq.

Connæctenses  
dimicant cù  
Britannis.

Gulielmus  
Aldelinides  
ex Hibernia  
deuocatur.  
Eius mores.

Hugo La-  
ceus Aldeli-  
nidi prætor  
succedit.

Hentici re-  
gis erga suos  
seruos libe-  
ralitas.

Macktirus  
insidias Mil.  
Cogano ma-  
chinatur.

Mil. Coga-  
nus & R. a-  
dulphus oc-  
ciduntur.

memoriam nominis sui reliquerit. Rex Hugonem La-  
ceum Aldelinidi in imperio subrogauit, hominem vi-  
gilantem & industrium. Robertus Poërus tam Waterfor-  
die, quām Guesfordiæ præpositus erat. Missus etiam est  
in Hiberniam Robertus Stephanides, summis ab Hen-  
rico ornamenti adfectus. Siquidem ei, & Miloni Cogano  
no eos Momoniæ campos perpetuò possidédos conce-  
fit, qui in australium vergunt, illos autem agros, qui ad a-  
quilonem inclinant, Philippo Bruseo dono dedit. Vtraq.  
territoria perlatè patent. Mare itaque, summa hicme, præ-  
teruecti, in nouas possessiones veniunt, & pacem stabi-  
leem cum finitimis principibus conficiunt. Stephanides  
& Coganus quinquennium belli vacationem cùm ha-  
buissent (nam tum armis, tum caritate & benevolentia  
fœderatorum procerum septi vixere) euenerat tandem,  
vt Milo Coganus, cum genero suo Radulpho, Roberti  
Stephanidis filio, ad Lismoriæ territoria iter faceret. Dum  
ambo, in campis, apricantes consident, atque nonnullis  
Waterfordiæ ciuibus, quibuscum res illis est, præstolan-  
tur. Macktirus, homicida vitiis omnibus vitiosus, & alij  
quattuor barbari ac dissoluti percussores, qui idē cum eo  
scelus conceperunt, milites, nihil insidiarum cogitantes,  
securibus à tergo hostilem in modum adorintur, & lo-  
cum, in quo sedent, & socii & generi sanguine funestat.  
Erat ille Macktirus Milonis maximè familiaris, quocum,  
vt primū ad uesperasceret, cōuiuari, & pernoctare, pro-  
pter familiaritatem notissimam, Milo statuebat. Verū  
carnifex, omni carens honestate, collectā nimis cruētam  
à cōuiua extorsit. Atq. ita impigritum & strenuū militem  
(quod sanè dolendū erat) qui apertos hostes sæpè repref-  
sit, insidiosus hospes sceleratè interfecit. Huius perfidia

documentum

documentum dedit, quid sit venenatam viperam in gremio fouere, & apud ingratum nebulonem studium atque officium ponere. Milonis & Radulphi interitio non modò priuatis amicis perluctuosa, sed etiam vniuersæ reipub. acerba accidebat. Nam vt primùm fama hanc cædem in singulas insulæ partes exportauit, omnes Momoniæ heroes, perfidos animos capientes, perinde ac si nullus aliis, Milone pereimto atq. sublato, superstes esset, qui eorum audaciam comprimeret, armati contra populum Britannicum pertumultuosè concurrunt, in primis Stephanidi exitium comparadum, circumfluentे exercitu, censem, tanquam impio nefarioqué prædoni, qui, primus ex omnibus, Hiberniæ pylas Britannis reserauit, & incolas in feruitatem, Anglorum regi tradidit. Remansit Corcagiæ, hoc durissimo tēpore, Robertus Stephanides, omni miseria prædictus, magnū præter ceteros dolorem sustinens, quod fidelissimum amicum, & carissimum filium, expressam patris imaginem, insidiis & proditione amiserit. Neque enim vsq. adeò suo periculo detrimen-  
toq. doluit, etiamsi Momonienses, erecti ad libertatem recuperandam, omnem bellum impetum in illum conuerterunt. Nam Corcagiæ muros concutsu multituditinis vndique circumseptos tenebant, vt urbem vi & copiis caperent, atque in Stephanidem furorem suum effundent. Hæc ubi Reimundo Giraldo nuntiata sunt, copias parauit, & Guesfordia soluens Corcagiam, cum firma militum manu, plenissimis velis, nauigauit, vt reipub. dignitati, & socij saluti interuentu suo succurreret. In qua quidem expeditione, vir fidissimus, & de repub. optimè sentiens, non amici modò, verum etiam amicissimi hominis officium persoluit. Nam cùm sæpe aliâs,

Momonien-  
ses rebellant.

Corcagia à  
rebellibus  
obsessa.

Reimundus  
Giraldus Ste-  
phanidi opē  
fert.

tum vel maximè, in fortunæ flexu, vera amicitia à fictâ & adulterinâ seceri solet. Reimudo cum suis in urbem ingresso, milites conuentum agunt, quid optimum factu sit, diligenter exquirunt. Vna omnium sententia est, & oratio, pugnam cum hoste cuestiō committendam, inermes milites, plumbeos quasi gladios vibrantes, in metu non habendos. Omnibus itaq. negotiis bene constitutis, Britanni ex vrbe ad hostes adfiliunt, ferro, quam maximè possunt, instant. Hiberni contrâ pugnant omni ratione. At vbi suos exsangues frangi, & corruevi dent, ceteri adhuc minimè saucij, animis tamen retardati, præter modum exterrentur. Quare de prælio, abiectis scutulis, effugiunt, multi celeres cursus ad silvas faciunt, nonnulli acceptis vulneribus auersis, cōcidunt; alij metu perterriti, & exanimati, in hostium mucrones incurunt.

Britanni timidos vehementissimè vexant, desertos, & disipatos occupant & capiunt, urbem ex obsecorum impetu eripiunt. Momoniensibus, ad hunc modum, dominis & excisis, prouinciae optimates, missis ad victores legatis, pacem libentissimè coagmentarunt. His ita negotiis confectis, Reimundus Guesfordiam celeriter est deuetus. Verū Stephanides letho misero filij sui, qui eī totus in sinu erat, illacrymare non desistit. Quod præter consuetudinem ei obueniebat, qui nusquam antea fortunæ tormentis adeò effeminatè succumbere erat vi sus, tametsi eius vita cum periculis & miseriis permista fuit. Omnia in Hibernia bonis omnibus persecutus est. Fuit optimâ naturâ; insigniter prolixus, munificusque, omni avaritiae suspicione carens: absque aculeo & maledicto, non infacetus; in eius summis laudibus antiquitas exceptit vnam mulierositatem. Nam ad omnem amiculam,

Britanni cū  
rebellibus  
dimicant.

Rebelles vi-  
cti & fugati.

Momonien-  
ses pacem  
petunt.

Stephanidis  
mores.

amiculam, calamistrata coma, & cerussatis genis fulgentem salax admissarius adhinnuit. Dolendum profectò erat, militem armis inuictum, à libidine vinci. Sub id tēpus Richardus Coganus, Milonis frater germanus, Corcagiam appulit, & in fratribus fundos hæres successit. Postea aliquanto venit eōdem Philippus Barenſis, Roberti Stephanidis nepos, vti auunculo suo, in istâ temporum trifitiâ, solatum aliquod reportaret. Siluester Geraldus Cambrensis, eiusdem Philippi frater, & Stephanidis nepos, huius itineris societatem cum Philippo coiuit.

Giraldus Cā  
brēsis in Hi  
berniam ve  
nit.

Giraldus vir erat pereruditus, acerrimus vetustatis contemplator. Scriptor, meo sanè iudicio, non ferreus, suo planè aureus, apud vtrumque Angliæ regem, Henricum & Iohannem filium, fuit in honore & pretio. Ea quæ nos his libris, magna ex parte, narrando explicauimus, eisdem ipsis temporibus, quibus gestæ sunt, perdilicenter complexus est. Insignes etiam Hiberniæ oras obiit, in qua percusione, multa mirabilia se vidisse commemorat, quorum explicatio alium locum, & librum postularet. Inter cetera memorie ab eo est proditum, se in libellum quendā incidisse, in minimis non ponendum. Index libri inscriptus erat de harmonia quattuor euangeliorum à D. Hieronymo colligata. Vnaquævis pagina certam figuram continebat, antiquo opere, & summo artificio factam. Primo quasi adspectu artificis industria horridula & obsoleta intuenti videbatur, perinde ac si lituræ potius, quam picturæ formam exprimeret. Verum si obtutum acutius in paginulas defigeres, atque solidam expressamq. effigiem curiosis oculis dispiceres, artis præstantia usque adeò periucundè ac singulariter te caperet, ut nihil unquam potuisse adeò adfabré, ac politè

Harmonia  
quattuor eu  
angeliorū.

aut penicillo ab Apelle pingi, aut ferramentis à Lysippo fingi, iudicares. Custodiebatur hoc monumentum in opido Kildariensi, libellus erat D. Brigidae, virginis commemorabili sanctitate præditæ, nō sine præcipuo numinis diuini auxilio, ut Giraldus adserit, scriptus. Mandat insuper litteris Siluester Cambrésis aculeatum Matthæi, antistitis Cassiliensis, responsum, quod mihi tacitum relinendum non puto. Habebant præful & Giraldus sermones quosdam de Hiberniæ statu. Interfuit huic communicationi alius Giraldus, Italiæ oriundus, à pontificè maximo ad Hiberniam legatus missus. Dum Silvester Giraldus nonnulla dicebat, cum quadam, ut putabatur, insulæ contumelia, tandem in eum veniebat sermonem, ut obiiceret tanquam probrum genti, etiam in tanta vbertate & copia Diuorum, quos in Hiberniæ fuisse constat, neminem martyrem in fastis numerari, qui pro Christo animam protudit. Ad hoc, inquit antistes, accipe. Non possum diffiteri, si velim pernegare, nationem nostram turpiculis quibusdam rebus oblitan esse; & satius esse existimarem, cœnum, sic enim est dicendum, quo sumus oblimati, Christianum in modum abstergere, quam nostra nobis vitia in maledictis obii- cere. Sed quomodo cumque se res habet, in his barbariæ fluctibus, quibus alluimus, nullus agrestis gladiator ita ab omni sensu, & humanitate vñquam vacuus erat, qui manus impias, & sacrilegas sacerdoti alicui adferret. Verum iam nunc in eorum ditionem ac potestate redacti sumus, qui ab antistitum cruore casti non sunt; ut credibile sit, plures posthac Hibernos (si quis diuina Majestas, è mundo taliter pignerari velit) in eorum numero ducendos fore, qui, pro Christiana religione, morte ocubuerunt

Aculeatum  
Matthæi Cal.  
silensis re-  
ponsu.

cubuerunt. Lusit pontifex peracutus in Henricum regem, cuius satellites paullò antè (insciente tamen principe) Thomæ, antistiti Cantuariensi, necem attulerunt. Verùm Hibernia non erat id temporis à martyribus vacua atque nuda; et si numinis prouidentiæ placuit, vt in exteris gentibus, pro religionis testificatione, sanguinem profuderint, quo melius eorum virtus non modò domi clara, sed foris etiam admiranda exsisteret. In hunc numerum referunt annales pontificem Foilaniū, quem in transmarina regione peregrinantem errantemque homicidæ ab religione remoti, è vitâ sustulerunt. Cum eo consociare, & coniungere possumus, Kilianum pontificem, Colommarium, & Totmannum, & præ reliquis exemplum castitatis, Dymphnam, quæ patrem, ei stuprum inferre volentem, declinans, ex Hibernia in Brabantiam se recepit. Fugientem patens, incestum stuprum anhelans, persequebatur, ac resistenti virgini vim & manus inferebat. Sed vt ad reīn reuertar, per hos dies Herueius de monte Maurisco, tanquam rudem accipiens, atque ad meliorem mentem, voluntate inque à Deo conuersus, mundanis corruptelis nuntium remisit, in monasticam professionem se totum tradidit, denique omnem malitiam, cum militia, depositum. Durus est in hunc scriptor, prout † suprà positum est, Giraldus Cambrensis, quem inuidiosis maledictorum notis tradere voluit posteritatis memoria. Sed quoniam malevolentia congruenter veritati conuenienterque perraro loquitur, talesque suos inimicos fingit, quales eos esse, & videri optat, æquum erit, in narratione iniqua, calumniatori fidem derogare. Formam Herueij ita depingere conatur Giraldus. Aptas & integras singulas corporis

Foilanus  
martyr.

Kilianus  
martyr.  
Vide Surium  
de vit. Sanct.  
tom. 4. ful. 8.  
Dymphna  
martyr.  
Suri, tom. 3.  
Mai. 15.

Herueius de  
monte Mauri-  
scico mona-  
sticæ vitæ  
se tradit.

<sup>†</sup> Lib. 3. circa  
finem.

Herueij de-  
scriptio.

poris

poris partes habuit; articulorum compactio firma; coloris suauitas insignis; statura longa, tamen propter incuruatos humeros, non admodum recta; homo aspera, & difficulti natura; frons familiaris, sed mens exitialis; bonorum sector; frequens seditionis concitator; acerbus aliis; sibi tantum dulcis; scortator tantis voluptariis illecebris mancipatus, ut corpus suum exsangue ac effictum effecerit; in Gallicanis proeliis bellicosus, in Hibernicis neque fortis, neque felix. Talia & multa acerbiora Geraldus. Verum ut haec ita fuisse deimus, cum explicabili numinis clementiae placuerit, caelestis gratiae lucem homini, virtus obsecrato, tendere, quorsum pertinet, humano modo peccantem tam acriter criminari, cum liccat poenitentem, melioris vitae sensum capientem admirari? Habet suum iuuentus feruorem, difficileq. est, eam aetatem libidinis vredine non torri. Detur igitur aliquid naturae communis fragilitati, & aliorum vitas ad insolens illud ac Pharisaeicum perpendiculum minime exigamus. Quippe hoc nihil aliud est, quam in alienum naevium Lynceis oculis intueri, nostram strumam, instar talpæ, non dispicere. Per haec tempora Hugo Laceyus prouinciam accurata consideratione administravit. Multa habuit & dignitatis instrumenta, & prudenter praesidia, quibus incolarum gratiam colligere, collectamque conseruare preclarè nouit. Aedificauit arcem Lechelinæ, cui Rogerum Poërum praefecit. Nihil turbidè & violenter, contraque omnia pacate & tranquille fieri voluit. Prouincialium non saluti modo sed commodis etiam consuluit. Otij & pacis alumnus; eius aures ad omnium querelas, dum forum egit, patuerunt; iuris aequabilitati totus deditus; ast ea fuit clementia, ut maluerit

maluerit, reum, cùm códemnare posset, absoluere; quàm cùm absoluere valeret, condemnare. Postremò tantus erat incolarum dilinator, vt nōnulli, quibus suspicionem mouebat, in eius nomen inuaderent, atque regi crimino-sè nuntiarent<sup>3</sup>, Hugonem nouis rebus studere; omnes Hibernos, plausibili adfabilitatis aucupio, & ambitionis occupatione, ad suam caussam adducere. Rex veritus, ne Hugo ad regni scamma aditus sibi cōpararet, Iohannem Constabulariuin, & Richardum Pecum in Hiberniam, cum regio imperio, confessum mittebat; per quos mandata ad Hugonem dabat, prouinciam remitteret, & in Angliam, vento vsus primo, se transferret. Laceus prius quàm discederet, multum consilij nouis prouinciae moderatoribus impertire, in quîs Lageniæ partibus castella construerent, quibus viis bellum ad pacem, & concordiam conuerterent, agrorum furta & latrocinia depellerent. Exin regis imperio arcessitus in Angliam traicit. Collegæ, qui, post Hugonis abscessum, duumuiratum gesserunt, Meilerium, ex tranquillissimis Kildariæ terris, in turbulentissimas Leisiæ oras detrusere. Caussas nimirum multas & graues huius commutatio-nis induxerunt, princeps fuit, ad Meilerij existimationem turpissimum esse, quem omnes celebrabant, tanquam veteranum, ad rem militarem exercitatissimum, otio, desidiaque disfluere. Quòd si Leisiæ fines incoleret, non decessent prouocatores, qui & dormientem experge-facerent, & vigilantem ad pugnandum cottidie incita-rent. Quid hac amoris, benevolentiaque testificatione dici, aut cogitari potuit clarius? Moram vix semestrem, in Henrici regia, faciebat Laceus, cùm inuidorum suo-rum obtrectationes prosterneret, & obtereret, omnemq.

Hugo La-ceus accusa-tur.

Iohannes Constabula-tius & Iohannes Pecus in Hibernianu à rege mit-tuntur.

Laceus in Angliam na-vigat.

occupandi regni suspicionem obliteraret. Neque quidem certè iniuriâ. Nam vt ignitos malleolos, in profluentem coniectos, celerrimè restinguî, ac refrigerari oportet; ita vana in virum integrum, & castum coniecta oratio, aut frigidissimis accusatoribus languentibus depellitur, aut ipsa per se continuò interarescit & cadit. Quamobrem Poco & Iohanne in Angliam reuocatis, Hugo Laceus, à rege maximis beneficiis ornatus, in Hiberniam cum imperio, tota plaudente insula, remeauit. Collegam tamen, se auctore, accepit Robertum Shrewsburiensem, domesticum regis aëdítimum, summi consilij virum, vti eius oculi publicas Hugonis procurationes specularentur, ac custodirent. Laceus itaque, sicuti primis temporibus, ita tunc, imperatis operis, continuus aëdificator castellorum fuit, inchoata & intermissa opera perfecit. Eo illo anno Laurentius Otolus, antistes Dubliniensis, domesticæ tempestati, propter iniquitatem temporum, cedens, iter in Normaniam ad Henricum regem atripuit. Huius peregrinationis duplex cauſsa perhibetur.

**Circa annū  
1184.  
Laurentius  
antistes iter  
ad Henricū  
regem facit.**

Prima, vti se regi purgaret, apud quem malè audiebat, quòd, cùm Laurentius Lateranensi concilio interesset, (nam in hoc concilium incidit eius ætas, tametsi inter historicos, de numero annorum, esse controuersiam video) immunitates quafdam patrum decretis Hiberniæ concedendas volebat, quibus fixis, ac stabilitis, rex in tributis & pecuniariis exactione multum damni quotannis faceret. Atque hac præsulis molitione rex dignitatem suam violari, maiestatemque minui iudicabat. Deinde altera, ac princeps cauſsa fuit, vt æquis conditionibus ab Henrico impetratis, patriam suam, pro cuius incolumitate, quoad  
longinquoo

vixit, se totum deuouit, ab interitu libertatis, primo quoque tempore, reuocaret. Nam Britanniici milites, præcipue cum Lacco successum fuit, in Hibernorum fortunas, absque ratione & modo, se ingurgitarunt. Verum sanctissimus, atque castissimus antistes, dum itineri se dedit, in morbum grauem incidit. Quem vbi captum omnibus membris, ac debilem administrari conspiciunt, in lectica collocatum, ad villulam quandam, in Normannia introitu sitam, sedato nisu perducunt. Inibi, id temporis, habitauit moderator cuiusdam religiosi coetus, omni laude laudandus vir. Is à Laurentio enixè contendit, tamdiu ibi commorari, quamdiu valedicte incommoda esset, adiungens, diuinâ beneficentia effectum esse, ut eius ædicula tanti hospitis præsentia decoraretur. Neque verò hoc solum perhospitalis gymnasiorcha dixit, verum etiam præfusilis seruos flagitatores acres apposuit, ut ibi interquiesceret, atque valetudini indulgeret, quoad ex morbo conualeret. Arrisit leuiteter, in cruciamentis, Laurentius, & ingentes grates hospiti gratificant agens, minimè, inquit, diuinitatis voluntatem cognitam & exploratam habetis, quæ aliud mihi hospitium præparauit. Quare cum ad eius nutuum præsto sim, longius me peregrinari permitte. Serui, præfusilis exhauriunt mandata. Cum iam progressi essent plurium horarum viam, castrum Augense, & delubrum, numini, diuinissimæ virginis nomine, dicatum, oculis creuerunt. Quod vbi ægrotus intellexit, præmeditatum mortis locum, appulsu inflatuque diuino, prospiciens, suos hoc modo est adfatus. Ultra Augense templum, fidelissimi serui, non est, quod me circumferatis; in exitu est mea vita, siquidem his finibus molestias

Laurentius  
grauiiter æ.  
grotat.

Psal. 131. 14.

meas Deus terminare decreuit: ad extremum , illud ex  
regio vate sumens , Hæc , inquit , requies mea in se-  
culum seculi, h̄ic habitabo quoniam elegi eam. Talis  
erat integerri ni p̄fculis cygnæa oratio, illum eundem  
versiculum iterū atque iterū repetens, quoad in ca-  
strum peruenit. Ibi cùm morbus ingraueceret, & ad  
sempiternas beatitatis epulas, appropinquante morte, se  
inuitari sentiret , adstantes ad religionis ac caritatis cul-  
tum cohortabatur. Postea intentis oculis cælum con-  
templans, intimis sensibus angebatur : illud perpetuis

Psalm. 56. 1.

sermonibus usurpans. Miserere Deus , miserere mei,  
quoniam in te confidit anima mea. Postremò incur-  
rens in memoriam nationis suæ, quam summa vi atque  
acerbitate irretitam reliquit, O infelix,inquit,Hibernia,  
ô incolæ ærumnosissimi: heu quis vos miseriis dein-  
ceps leuabit ? Quis vexatam & adflictam insulam eri-  
get, & recreabit ? Ad cuius perfugium,Hibernia,confu-  
gies ? Cuius fidem implorabis ? Quem calamitatis tuæ  
deprecatorem habebis ? Dum ad hunc modū tanquam  
verus,& germanus D. Pauli sectator,acerrimo quodam  
ad perpetuam felicitatem studio ardet , & simul graues  
curas cogitationesque in gentis,& speciatim in gregis sui  
salutem,vsq. ad extremum halitum,confert,tandem eius  
anima è corporis ergastulo in cælitum cœtum etiolat,  
vbi eam diuinitatis claritas,& adspectus perenniter beat.  
Laurentij  
mors.  
Eius mores,  
ac instituta.

Vir erat clarissimis maioribus natus, et si generis nobili-  
tatem doctrina,doctrinam sanctitudo superabat. Vm-  
bratili meditationi, mira vitæ deuotione , deditissimus;  
ast vbi pontifex fuit, ita priuatis studiis vacauit, vt publi-  
ca negotia non omiserit. Nemo in cælestis vineti cul-  
tione, diligentior, cultus moderatus, victus salubris. Etsi  
enim

enim eius hospitalitas miranda fuit, tamen corpusculum suum inediâ, cuius mirificè patiens exstinxit, eneruauit. Sæpè, in orationibus, solitus est noctem per uigilare. His arminis, à diuina benignitate ei oblatis & datis, bellatricem carnis corruptelam domitam & cōpressam tenuit. Eum habuit non dicecessis modò sua, sed tota etiam Hibernia in religione moderatorem, in controuersis rebus oraculum, in dolore consolatorem, in orbitate tutorem, in omnibus reipub. fluctibus, & procellis peritissimum nauarchum. Quoties domesticarum seditionum incendia extinxit? Quoties plebeios furores, singulari prudenter, refrænauit? Quoties proceres cum plebe, plebem cum proceribus reconciliauit? Nihil ei laboriosum accidebat, quod patriæ fructuosum iudicabat. Eius vitam Augensis gymnasij alumnus litteris & memoriâ non diligenter celebrauit. Auctoris nomen non exstat. Illius cōmentarios Laurentius Surius, egregiè industrius scriptor, in libros suos, de Sanctorum vitis inscriptos, coniecit. Successorem habuit Laurentius, in pōtificatu, Iohannem Ciminum Anglum, praefulem omni doctrinâ, & sanctitate ornatissimum, ex religioso Eusaniæ gymnasio, ad illud pastoritium munus, electum. Henricus rex iam-dudum in animo habuit, Hiberniam minimo suo filio Iohanni possidendam tradere, atq. idcirco Iohannes Ciminus citius in insulam præmittitur, vt regis voluntatē incolis significet. Hugo Laceus, Henrici iussu iterūm se magistratu abdicare, & à regenda repub. in Angliam omni festinatione properare. Paullò post, Philippus Wigorniensis, vir in multis rebus non contēnendus, rerum summā in Hibernia administrabat. Verū prima eius excursio multūm iniuriosa, & parū religiosa censemebatur.

Tom. 6.  
Nouemb. 14.

Iohannes  
Ciminus  
Dublinij Ar-  
chiepiscopus  
creatur.

Hugo La-  
ceus iterūm  
in Angliam  
redit.  
Philippus  
Wigornien-  
sis Hiberniæ  
prorex effici-  
tur.

Nam statis illis quadragenis diebus (quod anni tempus  
precibus, non prædis ab Heroicis viris est adsignatum)  
Philippus, cum multis coactis & armatis militibus, Ar-  
machiam concessit, & non modò à plebe, verùm etiam  
ab ipsis sacerdotibus, (quos omnis semper antiquitas ex-  
actionum immunes esse voluit) magnam pecuniæ vim  
inuitò & ingratiss expressit. Vnde effectum erat, vt Vlto-  
nienſum non modò odia, sed pænè etiā arma in ſe con-  
uerteret. At iniuriatum vltor, Deus, exemplò in depecu-  
latorem animaduertere adſerebatur. Pedem enim ex o-  
pido egressus non erat, cùm torminibus cruciaretur, ita  
ut animam ferè efflaret. Quanquam autem Vltonienſes,  
quos expilabat, dolorē hunc diuinitùs immisſum, quaſi  
claram & teſtataſ ſcenam, conſirmarunt, tamen Phi-  
lippus, ſimul ac ſeroborauit, ex Vltonia immani pecunia,  
vi expreſſa & coacta onuſtuſ, in Lageniam excessit. In-  
terfuit, in hac rapacitatis coitione, Hugo Tirellus. Hic  
cum ſacerdotum gymnasium Armachiæ diripuiſſet, in-  
dideim magnâ capacitate authepsam ſecum Dunum ab-  
ſtulerat. Nulla nox intercedere, praefepe, vñà cum toto  
Tirelli diuersorio, incendio conflagrare. Poſtridie mane  
onerarios equos, exuſtione consumtos, lebetem inte-  
grum inuenire. Tirellus, cōſcientia prædæ ac rapinarum  
excitatus, numen diuinum horrere, ablatum alienum  
reddere & remittere non pigrari. Pontifex Dunenſis his  
rebus interfuit, qui, nescio qua animi præſagitione per-  
motus, palam, inter militum conuenticula, dictitaffe  
 fertur, magnam ſine dubio procellam Hugoni Tirello  
impendere, Deum inſignium iniuriarum, quas pauperi-  
bus imposuit, vindictam in breue tantūm tempus de-  
trudere, qui ab egentium querelis, & iniquiſſimis pu-  
pillorum

Philippus  
Wigor. VI.  
Vltonienſes ex-  
pilat.

Hugonis  
Tirelli direc-  
ptio.

pillorum compilationibus oculos nunquam auertit. Euénit ita ei, vt prædixit. Nam Hugo Laceus, paucis sanè pòst mensibus, in Hiberniam reuersus, & quasi Tirelli punitor à Deo constitutus, ei se inimicum odiosum, interposita aliqua offensione, apertè professus est, cumq[ue] Laceus meliorum partium vir eslet, tandem ad satiandum odium suum effecit, vt Tirellus omnium Britannorum profligatissimus atque perditissimus haberetur. Verùm eorum factiones maximas in repub. turbas effecerunt. Nam tem sèpius ad manus inimici reuocare, in quibus pugnis, multi vulneribus concisi extrellum vitæ spiritum edere. Nullus discordiarum finis fuit, quoadusque, Tirellianis viribus debilitatis ac imminutis, Laceus armis superior euasit, & inimici salutem prorsus extinxit. Sub idem tempus Heraclius patriarcha Hierosolymitanus, vir prudentissimus, & omnis officij diligentissimus, in Angliam, ad Henricum regem se supplicem contulit. Illius aduentus hæc ab historicis ratio redditur. Saladinus, Saracenorum rex potentissimus, partim suis viribus, partim intestinis Christianorum discordiis præfidens, in religionem nostram, & sacrae disciplinæ alumnos audacius insultauit. Christianorum res inclinare cœpit. Heraclius impendentes ærumnas, quasi in specula constitutus, multò antè prospiciens, toto pectore ad compriuendam intolerandi tyranni ferociam incumbere, principes absens litteris sollicitare, præsens grauiissimis sententiis hortari, vt Saladinum, fidei, religionis, Christi inimicum bello persequentur. Cùm igitur magnam huins expeditionis spem in Henrico, Angliæ rege, religiosissimus patriarcha collocasset, vsque ex ultimis Hierosolymæ oris in Britan-

Inimicitæ  
inter Laceū  
& Tirellum.

Heraclius  
patriarcha in  
Angliam ve-  
nit.

niam

Heraclij pa-  
triarchæ ad  
regē oratio.

niam aduenerat, & in permaximo comitio, regi, huius-  
modi oratione, se supplicem exhibuerat.

„ Cùm multa sint, potentissime princeps, quæ tuam  
 „ perillustrem famam, longè lateque diffusam, remotis  
 „ orbis terrarum regionibus patefaciant, & commen-  
 „ dent, tum nihil à Deo opt. max. vñquam tibi oblatum  
 „ fuit, vel ad naturæ tuæ bonitatem declarandam melius,  
 „ vel ad fortunæ amplitudinem percelebrandam maius,  
 „ quam quòd miseri, & miserandi Christiani ad tuam fi-  
 „ dem confugiendum, & à te, præ ceteris regibus, opem  
 „ petendam, vna mente, atq. voce consenserunt. In causa  
 „ hæc sunt. Saladinus, tyrannus post homines natos im-  
 „ manissimus, non modo durissimum, & luctuosissimum  
 „ bellum comparat, sed etiam Christianis denuntiat, nec  
 „ solum denuntiat, sed planè infert. Reimundus Tripo-  
 „ litanus, transfuga omnibus perfidiae maculis notatissi-  
 „ mus, cum Saladino copias, scelerata coniuratione, con-  
 „ iungens, carnifici in cæde Christianorum exsultanti, &  
 „ tripudianti, plures spiritus intempestiuè adfert. Vtraque  
 „ belua, ex flagitorum impuritate concreta, omnia ge-  
 „ neratim Christianis omnibus, speciatim Hierosolymi-  
 „ tanis ciuibus pericula intendit. Quidquid fraus in ver-  
 „ bis, vis in armis, multitudo in acie, insolentia in victo-  
 „ ria, feritas in tormentis præstare poterit, totum illud ab  
 „ his Christiani sanguinis heluonibus (nisi Deus auerrun-  
 „ cet) metuens. Hierosolyma, ab omni præsidio vacua  
 „ atque nuda, & ferè conuulsa sedibus suis, Saracenorum  
 „ irruptionem dies noctesque pertimescit. Finitimi terri-  
 „ torij incolæ, tetro, & internecino bello pressi, nihil, præ-  
 „ ter subitam stragem, aut repentinam fugam, meditan-  
 „ tur. Quocirca cùm eò intolerabilis Saladini dominatus

prolapsus

prolapsus sit, vt eius tela iugulis nostris intenta, vbique  
volitent, & religionis monumenta spolient atque nu-  
dent: hoc vnum à dignitate tua perculsi Christiani re-  
quitunt, huius, quam tecum profitentur, fidei caussam,  
defensionemque suscipere; & contra religionis hostes  
exercitum festinanter comparare. Habet hæc petitio  
multam in se dignitatem. Nam cum in bonis viris re  
vera numerari, præclarum sit, & cuius bonitatis studiis  
donato ac deuoto, omnibus rebus posthabitatis, optan-  
dum; tum bonis viris, in optima causa præesse, & ma-  
lis in pessimo conatu obsistere, honorarium quoddam,  
ac potius supra humanam præstantiam, diuinum habe-  
tur. Si finem tam præclarri facinoris cogitatione attin-  
gas, meditanti occurruunt infinita ad belligerandum in-  
uitamenta. Etenim quid Christianus princeps carius,  
atq. antiquius habere potest, quam contra perfidos ma-  
num facere, numinis hostes conculcare, fidei oppresso-  
ribus fideles liberare, postremò ipsam vitam, ad breue  
exiguumq. tempus durantem, pro Christo, si res cogat,  
profundere. Siquidem in hoc bello, vt in reliquis rebus,  
caussa non est, cur ancipites prœliorum euentus exti-  
mescas. Nam si hostes, depulsis ac dissipatis eorum co-  
piis, prosternas; bellum confecisti, multis salutem de-  
disti. Si in acie cadas, in cælesti domicilium euestigio  
immigras. Felix autem, & palmare illud certamen, in  
quo & vincere gloria, & vinci victoria est. Quare rex  
magnificentissime, si Christianam fidem colis tantum,  
quantum pro certo colis, macte hac tuâ potentia, & e-  
minentia; pro Christo propugna, qui pro te, cruci suffi-  
xus, decertauit; bella tua ad illius dignitatem refer, aspe-  
rum, & difficile percessu infidelis tyranni iugum à Chri-

» stianorum ceruicibus deiice; seruitutis vincula rumpe;  
 » excitatum bellum armis frange; nosmet nobis redde.  
 » Moneant te fidelium lamenta, fidem & auxilium tuum  
 » implorantia, ac exposcentia, qui multis partibus malunt  
 » quamlibet seruitutem seruire, quām huic importunissi-  
 » mæ beluae ceruices subiicere: quam armis subactam  
 » esse omnes exoptant, armis subigere cum primis tu po-  
 » tes. Moueat te Hierosolyma, plurimis religionis insi-  
 » gnibus iam olim illustrata, moueat te tota illa terra, in  
 » qua sacra liberatoris conseruatorisque nostri vestigia  
 » sunt impressa. Sic Christianum imperium amplificabis;  
 » sic scelerorum mucrones retundes; sic nomen tuum  
 » erit magnâ apud viuos gloriâ; sic laudem tuam omnis  
 » posteritatis fama celebrabit, sic diuina maiestas, cuius  
 » athletam te præbes, post volucrem huius vitæ cursum  
 » te in cælum tollet, atque beatitudinis perennitate hilara-  
 » bit. Hæc habui, clarissime rex, quæ in præsenti dice-  
 » rem, fortassis pro cauſæ bonitate, nihiū; pro fratribus  
 » meorum calamitate, parū; pro tua, vt spero, virtute, satis.

Dum hanc orationem antistes habuit, tantam vim  
 lacrymarum profudit, vt totam pænè acroasin, licet  
 maior pars latinè nesciuenter, flere ac lamentari compulerit. Rex per honorificè, & amicè eum accipere, re-  
 sponsum in paucos dies differre, illius petitionem cum  
 præstantibus in repub. viris communicare. Optima-  
 tes, sententiam rogati, in consilium frequentes conue-  
 niunt, rem huc atque illuc, ancipiti contentione distra-  
 cti, versant, summa consultationis est, nihil esse regis ra-  
 tionibus utilius, quām domi considere. Quare Henr-  
 ius per benignè Heraclio, idque de procerum consilio,  
 respondit, magnam se animo molestiam capere, quòd  
 homini,

homini tam Christiana roganti , negare cogatur : cogi  
verò, quia graues ei inimicitias Gallorum tex denuntia-  
uit, quæ eum distentissimum tenent. Verisimillimum  
etiam esse, si in Iudæam proficeretur , Gallorum re-  
gem in totam Normanniam inuolaturum; atq. ita plu-  
ra fortasse domi amitteret, quām foris recuperaret. Se  
tamen ingentem velle cogere pecuniam ad tanti belli  
apparatum. Tulit hoc responsum , non tam libenti,  
quām patienti animo , patriarcha; & valdè vehementer  
regem rogauit, Iohannem, filium suum, saltem vicarium  
dare. Sed nec hīc quidem potest Henricus exorari. Par-  
tim quòd Iohannes nondum satis ætatis atque roboris  
habeat, & idcirco ad rem militarem minus accommo-  
datus existat; partim, quòd Hiberniæ dominus sit re-  
nuntiatus, qui quām mox in eam insulam accedat, pro-  
uinciales suspensis animis exspectant, veruntamen im-  
pensam in Christiana negotia facere, coaceruata grandi  
pecunia, iterūm rex promittit. Vbi præful nihil specu-  
læ ex principis verbis degustare potuit, eum his dictis  
confidentius est adlocutus. Pecunia nobis, Henrice rex,  
non deest, sed princeps. Te ipsum, noī ærarium tuum  
deposcimus. Omnes orbis terrarum oræ pecuniam in  
hæc bella impendunt, sed nulla principem mittit. Qua-  
re cùm tuas priuatas rationes communibus rei Christianæ  
negotiis prætuleris, hoc mihi non sumo, instar vatis,  
oracula fundere, sed hoc tibi denuntiare audeo , Chri-  
stum, cuius dextra est inuicta , qui nec tuis nec vlliis  
hominis viribus, aut opibus indiget, supplicium de igna-  
uiâ tuâ acerbissimum sumturum. Ea patrimonia, quæ  
absens perdere extimescis , præsens fortasse non conser-  
uabis. Diuinitatis ope & auxilio multò magis regum

Heraclius  
repulsam  
fert.

præsidia, quām humanis neruulis, & armis firman-  
tur. Quocirca tu qui externos hostes, & longè gen-  
tium positos spernis ac pro nihilo putas, vide, ne pro-  
pinqui, & domestici inimici se in possessiones tuas im-  
mittant. Obstupuit rex his dictis, & naturam suam ad  
tempus regens, stomachantis præfulvis minas, insolitâ  
sibi patientiâ, deuorauit. Ast sicut prædictis, ita variæ  
acerbitates regi acciderunt. Nam Philippus, Gallorum  
rex, cùm iam tum vix ad extremam pueritiam perue-  
nit, Henrici terris multum calamitatis importauit, eum  
de variis possessionibus deiecit. Belligeravit item cum  
illo Richardus, Piëtauiensium Comes, qui, euersis, &  
eiectis Anglis, vrbes ac castella ad imperium suum ad-  
iunxit. Perquam breuiter hæc, quæ externa sunt, coa-  
ceruo, de quibus plures scedæ à variis historicis sunt  
impletæ. Ast quanta rerum permutatio in Hiberniâ,  
per hos dies, euénit, reliquum est, vt explicemus. Non  
ita multò post Heraclij abscessum, Iohannes, Henrici  
regis filius, pompæ plenus, in Hiberniam satis feliciter  
nauigauit. Huic tria genera stipatorum ministros se  
præbuerunt. Primum, non ex lectis, & modestis Nor-  
mâniae viris, quorum frequens erat numerus, sed ex ipsa  
fæce & seruitio conflatum. In hunc ordinem redige-  
bantur perductores, aleatores, gumiæ, creditorum frau-  
datores, qui in ludis & meretriciis amoribus vitam de-  
gebant. Secundas partes sibi vendicabant tirones An-  
gli, qui numquam aciem videre, aut aliquam bellici  
muneris partem attingere. Plerique etiam eorum ga-  
neis, & damnis aleatoriis patrimonia profundere, com-  
plura regis beneficia deuorare. In nouissimis, extra or-  
dinem, quasi postremi homines, consistebant Britanni  
veterani,

Iohannes  
Henrici re-  
gis filius in  
Hiberniam  
venit.

veterani, qui longâ, ac diuturnâ militiâ persuncti, & Hibernorum moribus satis diu adsuesacti, primum apud principem adolescentem locum habere debuerunt. In hoc comitatu, Henrici regis prudentiam prudentes desiderare, quandoquidem selectio bonorum virorum, malis ablegatis, in adolescentiâ necessario adhibenda erat. Quis probus pater improbis satellitibus natum suum succingi velit? Quin etiam acuti, ac intelligentes viri, ex filij seruis, de paternis moribus conieaturam vt plurimum faciunt: & rectè faciunt. Egône in illo parente aliquid consilij, quidquam grauitatis inesse autumem, qui liberum suum, præsertim ad multorum imperium natum, malo cultu, prauaque consuetudine corrumpi permittit? Quod facile fit, si filiolum illis committat, qui vt ad nullam partem vtiles sunt, ita nihil aliud præstare possunt, quam se magnificè circumspicere, meretricia voluptate liquefcere, dirarum fulmine ignaos terrere, crebras seditiones facere, impura obsecnitatis lue adolescentulos commaculate? Magni interest, quibuscum homines adolescentes societatem coëant, quorum sermonibus, & exemplis adsuesacti sint. Quemadmodum enim nouæ lagunculae inueteratam odoris fecunditatem, quam ex male olentibus liquoribus primùm traxerunt, difficillimè deponunt: ita adolescentuli, scurratum impuritate, propter depravationem consuetudinis, inquinati, in vitiorum cœnum facillimè se immergunt; tum deinde integrissimis doctoribus arduum negotium exhibent, ex cæca, & tenebricosa improbitatis fuligine, ad virtutis lucem adspiciendam, illos reuocare. Vixit in Anglia, abhinc annos quinque & viginti, fæmina, quæ, siue eam ex ger-

nere, siue ex dignitate, siue ex virtutum omnium ornamentis species, fuit sine controversia primaria. Haec annos nata viginti, necdum vlli nupta viro, apertis fenestris, duas fortuitò aniculas iurgiis concertantes adspexit. Altera alteram, ut in probrosis contumeliarum aculeis ferè fit, Anglicè meretricem appellare. Haec ad famulas conuersa, ab illis sciscitari, quid vernaculo meretricis nomine significaretur? Castissima virginis, pudore & pudicitiam inuiolate colentis, interrogatio, & regio suo genere digna: quæ mentem ab omnibus corruptelarum illecebris usque èo puram seruauit, ut nomen, huic turpitudini impositum, prorsus ignorarit. Sed ut hoc linquamus, quod tamen matronis tenendum optamus: Iohannes à prudentium congressu non penitus erat deseritus. Adueniebant cum illo docti, & litterati homines, inter quos Silvester Giraldus Cambrensis (quo de antè satis multa) eius quasi paedagogus, ex regis prescripto, erat constitutus. Sed gladiatores, non doctores, summam protestatem, in insula habebant. Nam posteaquam firmi rumores de Iohannis aduentu prolati erant, insulæ heroes hoc nuntio exhilarati, domino, & rectori suo honoraria elargiri, omnemque gratulationem facere, festinabant.

Interea coloni è vicinia Waterfordiam profecti (nam hanc primùm ciuitatem Iohannes classe tetigit) simulac adolescentem adspexere, non modò, plausu maximo, principi gratulationem significarunt, verum etiam in collum eius inuadere, & patrio more suauari eum voluerunt. Normanni lictores superbè agricultos appellantes, nō solum eos à Iohanne inhumaniter repulere, sed etiā, cincinnis vellicatis, magnis homines rusticis ignominiosis adfecere. Vicani cōtumelia offensi, rem pergraui-  
ter tule-

Giraldus Cā-  
brensis Iohā-  
nis paedago-  
gus.

Rustici Hi-  
berni à Nor-  
mannis malè  
tractati.

ter tulerunt, & Desmondiæ, Tomundiæ, atque aliarum prouinciarum tetrarchis obuiam facti, palam, & liberè nuntiarunt, eorum in urbem aduentum inanem penitus ac ignominiosum fore. Neq. enim principem, inquiunt, conspicietis, regia nobilitate imicantem, Hibernorum animos adsibilitate sibi allestantem, sed insolenteim, & superbium verberonem, huc atque illuc pueriliter volitatem, barbarâ, & incultâ stigmaticorum frequetiâ comitatum. Quid multa? non prouincialium gratulacionibus, sed scutica medius fidius perdignum. Tum deinde, quantis contumeliis operti oppressi. fuerint, magno usi impetu, significarunt. Hunc vbi scrupulum optimatis rusticuli iniiciunt, proceres ad libertatem recuperandam excitati, contra Iohannem coniurant, domum se recipiunt, omnibus Britannis vim, arma, exercitus denuntiant. Nam qui, inquiunt, eorum dominatu, ac superbiâ oppressi, viueimus, quos nec precibus flectere; nec impendiis delinire; nec amore placare; nec honore pacare possumus? Hæc sine sunt præclara Anglicæ dominationis primordia? Hoc sine est pacem facere, an ad bellum quiescentes impellere? Sic sine amabilia Britanicæ urbanitatis blandimenta succedunt? arridentes spernere? gratulantes repellere? gestientes fustuari munerari? legibus parentes omni dedecore cumulare? Quoties nostram nobis barbariam, ut probrum, obiecerunt, cum tamen ipsi agrestiorem insulæ importent, quam in insula reperiunt. Iohannes de communi Hibernorum conspiratione admonitus (neque enim erat occulta) coactus est, belli terrore, se demittere in Angliam, & insulam suam, quam pacatam inuenit, tumultuosam relinquere. Harum vero perturbationum sedatio

Hibernici  
proceres cō-  
tra Iohan-  
nem coniū-  
rant.

Iohannes in  
Angliam re-  
nauigat.

Bruseo

Hugo Laceus Hiberniae gubernator à Iohanne constitutus.

Laceus contra rebelles bellat.

Rebelles vincuntur.

Laceus arcem fundat.

Hugo Laceus ab operario occiditur.

Bruseo, Curceo, Giraldidis, & in primis Hugonis Lacei virtuti ac adsiduitati commendata fuit, ad quem etiam Iohannes reipub. curam detulit, libentissimis omnibus. Laceus, statim atque prouinciam tutandam obtinuit, nonnihil temporis ad comparationem belli contulit. Etenim maior cura cogitatioque in omni apparatu, ei ponenda erat, quoniam coniurati maximum seditionum faces totâ insulâ incendebant, suamque manum vbiique confirmabant. Rebus satis comodè ordinatis, in hostes irruptionem facit, non mediocres copias uno atque altero pœlio deleuit, denique omnia coniurationis mala non modò perbreui tempore sedauit, sed penitus etiam sustulit. Ut primum Hiberni, pœliis fracti, Anglis succubuerunt, Laceus exercitum depositus, & pristino suo more exstruendi, bellicæ architecturæ adsiduitatem præbens, arcem quandam Derwathiæ fundauit. Complures Hiberni, mercede conducti, multo eorum sudore, ac labore, in hac structura erant occupati. Laceus eos frequenter inuisere, valde familiariter atque hilarè baiulos salutare, donis datis, ac spe cumulationis manupretij ad munus pensumque fabros stimulare, quinetiam inter operarios corporis sui neruos, multò plus, quam illius pars virilis postulabat, periclitari. Atque se abiecit in humilem hanc, & familiarem societatem, ut ieiunæ plebeculæ ventos colligeret, benevolentiamque sibi conciliaret. Verum incautus plebicola non modò operam, sed etiam se perdidit. Nam dum fodicans ad terram parum solerter inclinavit, venit à tergo seruus mercenarius, qui homicidij scelere concepto, percutiebat locum, quippe securi Hugonis cerebrum persecabat. Etsi autem

tem multorum gladij ad homicidæ viscera celeriter adhærescerent, tamen crudelissima morte sexcenties mori malebat, quam patriæ suæ seruitutem contueri. Atque ita Hugo Laceus, qui magnis rebus gestis, plurima apud Hibernos fortitudinis suæ monumenta collocauit, demissò hoc, ac seruili mortis genere periit. Multa in homine laudanda, nonnulla vituperanda erant. Qui eum ex trunco corporis aestimabant, flaccum, petulum, & verrucosum fuisse ferebant; oris etiam depravatione, ac distortione membrorum deformem:depressum habuit, & quassatum nasum; genæ, præsertim parte dextra, in eunte ætate ambustæ, adustionis notis, & veteris vestigiis flammæ fuerunt deformatæ. Restrictus, ac tenax naturâ. Ast diuitiarum hirudo, meretricius amor (in qua libidine, post vxoris obitum, immoderatè, & intemperatè erat bacchatus) maximam ex eius armario auri argentiique vim exhausit. Vir regio spiritu; attentus gloriae suæ auditor, quam toto pectore anhelauit, in præliis exitis habuit interdum parum fortunatos, tametsi ad usum, ac disciplinam militarem bene peritus euasit. Venit ad eius societatem in Hiberniam Gilbertus Nogentus, vel Nugentus, equestris census vir, qui, in Hibernicis bellis, multum rerum gestarum laude processit. Is uxorem duxit Rosam, Hugonis sororem. Eum Laceus Fouriae & Deluiniae coloniis munerauit. Gilbertus germano fratri, Richardo Nugento, quem rerum veterum codicilli Richardum de Capella nominant, Deluiniam admodum fraternè donauit, è cuius stirpe Deluiniae Barones enati sunt, quorum virtus cum magna in rebus omnibus, tum summa, in re militari, semper existit. Ceterum hoc in loco minuenda

Lacei descri-  
ptio.

Huc usque  
Giraldus  
Camb. in hi-  
storia pro-  
cessit.  
Gilbertus  
Nugentus  
ad Laceum in  
Hiberniam  
venit.

Deluiniae  
Barones va-  
deorti.

d mihi

Guliel. Neu-  
brig. Rerum  
Angli. lib. 3.  
cap. 9.

mihi occurrit opinio, seu potius ficta Gulielmi Neubri-  
gensis narratio, in qua Hugoni Laceo, & Viuiano vi-  
detur obtrectare. Hugonem adfirmat, cum in suspi-  
cionem regni appetendi vocaretur, Henrici regis præscri-  
ptum, quo in Angliam redire iussus est, penitus con-  
tempsisse, magnam item lætitiam ex Lacei morte ad prin-  
cipem peruenisse, quoniam à religione officij declinans,  
Hibernico regno perfidè vti voluit. Eo insuper inter-  
fecto, regem postea, in prætore deligendo, maiorem  
cautionem adhibuisse. Præterea enarrat, Viuiano, pon-  
tificio legato, quo de suprà verba fecimus, auctore &  
consuasore, Ultonienses bellum contra Curceum suscep-  
isse: deinde cum nimis diu, in Hibernia adhæresceret,  
insulae præfectis denuntiantibus, auro minus onustum,  
cuius tamen percupidus erat, in Scotiā remeasse. Quām  
multa errata, quām paucis verbis? Nam nec rex id  
temporis Hugonis fidei diffisus fuit, sed multò antea, vt  
suprà est demonstratum, non solùm ex omni læsæ ma-  
iestatis suspicione, sed etiam ex calumniatorum sermo-  
nibus ( inuidiæ sanguine misso) se vindicauit. Regis  
auctoritati nusquam non obtemperauit. Tantum etiam  
absfuit, vt ob illius interitum rex gaudio triumpharit, vt  
etiam grauari visus sit. Quidni? Nam quo pacto be-  
nefici ac salutaris serui spiritus grato principi vilis esse  
potuerit? Laceus vir erat plenus officij, tametsi nimis  
valdè populo se daret. Ast statim atque falsam à se su-  
spicionem imminutæ maiestatis depulit (nam laudis  
atuidis, non regni appetens vixit) rex, vt antea, ita ab  
illo tempore beneficis in eum fuit, & de hominis inte-  
gritate, tam re quām opinione innocentiae florentis, op-  
timè existimauit. Quod verò refert, Viuianum non  
sponte

Lacei & Vi-  
uiani desen-  
sio contra  
Guliel. Neu-  
brig.

sponte ac voluntate, sed minacibus gubernatorum vocibus ex Hibernia decessisse, pecuniaeque cupiditate sittienter arsisse: bis in eo labitur. Siquidem nostræ scandulae, quod bona cum Gulielmi venia dixerim, nec præfectorum minas loquuntur, nec hominis auaritiam vehementibus verbis persequuntur, nec cuiquam Hibernicarum tabularum memoriam replicanti, usque quod sciam, haec occurant. In eo etiam perspicue alucinatur Gulielmus, Viuianum ardentes faces Ultoniensium ardori ministrasse. Nam legationis munus ad Hibernos antistes suscepit, ut provinciales prorsus à bello discedere cogeret, & omnes à fidelium sodalito excluderet, qui manum contra regem facerent; quam legationem castè, integreque confecit. Togatus belli extinctor esse cœpit. quippe Curceo pacis auctor fuit, quem optimis conditionibus onerauit, quibus alter, benè victoriae fidens, ut modo prorsus nullo voluit. Sed de his satis mihi multa verba fecisse video, cetera pertebam. Vix dum Laceo vita exhausta fuit, cum omnes per insulam Britanni, certis studiis, ac firmis armis diuincti, in bellum incubuerint, ad vlciscendum Hugo-nis interitum. Etsi enim unus tantum facinorosus furcifer repertus erat, qui infestum hoc scelus, & immane in reipub. edere auderet, tamen Britanni omnem suspicionis specum peragrantes, opinati sunt, Hibernicos optimates notasse & designasse, communi conspiratione, ad hanc internacionem Laceum, & ceteros Britannos, ut primùm ylla occasio ad talem cædem illis oblatâ esset. Non igitur fas esse, confirmarunt, tanti sceleris architectis veniam, & impunitatem dare. Hugo Laceus, enecti, ut arbitror, filius, huius belli gerendi admi-

Angli Hi-  
bernos om-  
nes suspectos  
cædis & re-  
bellionis ha-  
bent.

nistrator fuit; qui, ad Iohannis Curcei consilium & auxilium se adiungens, inuictum exercitum ex armatissimis militibus confecit: quem in Hibernos, ab officij ratione declinantes, infestis signis immisit, & multis captis, plurimis necatis varia loca, eorum sanguine, fremebundus cruentauit. Hibernis, Britannorum impetu, percussis & prostratis, victores totam prouinciam pacatissimam reddiderunt, in qua satis quiete vixerunt, usque eodem Iohanni, Henrici filio, post Richardi fratris occidum, Angliae regnum eiusdem insulæ heroes detulerunt. Iohannes omnibus æqui bonique cultoribus in acerbo odio fuit, propterea quod Arthurum, nepotem suum, ad quem ius regni spectabat, non modo iniuriosè exhaeredauit, sed suis etiam manibus, vita priuauit. Ita enim plurimi id ætatis homines non loquebantur solùm, verùmetiam personabant. Inter ceteros, Iohannes Curceus, primus Ultoniæ Comes, inmoderatione verborum elatus, sibi minimè temperare, sed perturpem hanc, & flagitiosam atrocitatem detestari, & in Iohannem furiales maledictorum aculeos liberius emittere. Reperti sunt in Curceum maleuoli, qui ista conuicia Iohanni regi nuntiarent, & asperis vocibus celebrarent.

**Curceum in Angliam in Etum deuchi iubet.**

Laceus habuit per litteras mandatum à rege, quem non ita pridem ad insulæ imperium extulit, omnem fraudem accunctionem abiicere, & Curceum, ubi ubi sit, catenis constrictum, in Angliam prima velificatione inferre. Dum Laceus rem mandatam fideliter gerere parat, clàm ad Curceum indicia imminentis ruinæ deferuntur. Quibus patefactis, Curceus prouidens ac præcauens, ex Lacei insidiis elapsus, Ultoniam versus properè (nam properato opus erat) furtiuam fugam affectauit:

**Curceus se fugit.**

**Hiberni sa-  
pius vincun-  
tur.**

**Ann. 1199.  
Iohannes rex  
inuisus suis.**

festauit: ad quam incolimis, itineribus tamen occultis,  
& deuiis, perrexit. Ecce autem repente nouum bellum  
conflatum. Nam Laceus pergrauerter ferens, Curceum  
è manibus fugisse, coactas regis copias, persequendi  
studio incensus, in Vltoniam immittit. Curceus timo-  
rem vt cumque deponere, ad arma virosque confugere,  
indagatas vias munitare, hostium impetum à suo capi-  
te depellere, in flexionibus ac diuerticulis latitans, regis  
milites, extra munitiones suas vagantes, ferro lacescere,  
interdum incautos concidere. Laceus inimici audaciam  
dementer stomachari, fulmina emittere, Curceum pe-  
stem, & perniciem reipub. præconis voce, declarare,  
mortem ei denuntiare, ac palam prædicare, contra eius  
manipulares crebro velitari. Verùm ubi frequens irru-  
ptio utrumque facta erat, tandem Curceus, satis magno  
exercitu, ex Vltoniensibus comparato, caput extulit. La-  
ceum audacius irritare cœpit, & contra eum, prope Du-  
nensem ciuitatem, aciem instruxit, in qua Curceana  
manus, quòd plus firmamenti, & roboris habuerit, ex-  
sultauit, & triumphauit. Laceus proeliis usus parum se-  
cundis, in Lageniam, demissio capite, excessit, mentem à  
pugnis, spe victoriae exclusa, reuocat, cuniculis, non ar-  
mis Curceum irretire excogitat. Legem, de proditore  
capiendo, regis nomine fert, in qua amplissimam ei pe-  
cuniam pollicetur, qui Curceum, non solum existima-  
tione, sed etiam pronuntiatione rerum capitalium con-  
demnatum, è medio tollet, aut captum in Lageniam  
ad proregem perducet. Atque hæ argenteæ plagæ, quas  
Laceus texit, luculentam Curceo plagam non ita mul-  
tò post, imposuerunt. Nam cùm illius diei memoria,  
in qua salutis humanæ restitutor in crucem est actus,

Quem bello  
Laceus repe-  
tit.

Curceus acie  
victor.

Proscriptio  
Curcei.

anniversaria celebritate Duni coleretur, Iohannes Curceus, vt erat pietati summè deuotus, militaribus tegumentis euolutus, nudo folorum callo sacra loca preslit. Dum huic pedestri deuotioni, cum omni reuerentia, operam dat, de eius domesticis aliqui, tempus, quod ante sèpius aucupati sunt, non dimitunt, inermi domino manus iniiciunt, comprehensum ad Laceum attrahunt. Nonnulli scriptum reliquerunt, Hugonem Laceum, posteaquam exsoluit præmium, quod promisit, de militibus supplicium morte ac suspendio sumisse. Certum nescio. Verùm seu ita, seu fecus res se habuit, vincum hunc Curceo impactum esse, Laceus pergaudere, ne forte rex aut eius negligétiā subaccusaret, aut fidelitatem desideraret. Quare ut primum eius potestati Curceus commissus erat, nullum tanti negotij vicarium constitueret, sed in Angliam, parum tempestiuo ad nauigandum mari, cum captiuo transire, & eum, regis præscripto, perpetuis tenebris vinculisque mandare. Rex Lacei nauitatem, non modò pecunia, ex ærario erogata, verùm etiam eximiis honoribus compensat. Nam eum Ultoniæ Comitem creat, & omnium prædiorum, quæ in Ultonia, & Connacia, Curceus habuit, possefforem efficit. His ad hunc modum negotiis confectis, Iohannes Curceus de maiestate damnatus, de pristino honoris gradu deiectus, ac ab omni fortuna & spe derelictus, summa ac singulari calamitate afflictus fuit, cui addita fames vix ei vitam reliquam fecit. Ex quo homine fortunæ fragilitatis perspicuum documentum capitur. Is qui non ita pridem tantos exercitus cōtinuerat, qui tot admiranda bella non solū repulerat, sed etiam gesserat, qui maximis in repub. honoribus perfunctus fuerat, qui multos milites

domi

domi cottidie sustentauerat, post subitam fundatissimi  
status ruinam, iam exinanitus ac perditus, in foetido for-  
nicatae cameræ nidore, miserabiliter cōtabescere cogitur,  
tantis inediæ tormentis cruciatus, ut vix vnuim tritici gra-  
num in buccā coniscere possit, cuius nutrimento vitam  
suam, pænè mortuam, propagare valeat. Verumtamen  
inæstimabilis numinis bonitas non usque eò asperè hæc  
vulnera captiuo inflxit, quin comploratum eius dolo-  
rem gratiæ leuamentis, idq. tristissimo suo tempore, mi-  
tigarit. In hac enim afflictione Curceus constitutus, in-  
cipit, anteactæ vitæ flagitia, quaæ in Deum, ac in homines  
impiè nefarieq. commisit, in memoriam reducere, quo-  
rum recognitio eius conscientiam non mediocri dolore  
compungit. Tendit ad Christum manus supplices, eius  
benignitatem implorat, paupertatis patientia eum ar-  
mare, egestatē consolari, pœnas, quibus est dignus, amo-  
uere, extreum eius casum & fortunam miserari. Pœ-  
nitenti & supplici captiuo Christus, in hac miseriarum  
magnitudine, remedio atque alleuamento fuit. Adue-  
nerunt in Angliam transmarini milites, clari & honorati  
viri. Habuerunt, in contubernio, palmarum plurima-  
rum athletam, & re ipsa satis virilem, tamen nimium fi-  
duicæ in suis lacertis collocantem, qui vnum aliquem  
Britannum ad duellum prouocauit. Quod ubi Iohan-  
nes rex intellexit, respondit, senon multum de gladiato-  
rum compositionibus laborare: habere tamē plurimos,  
in ditione sua, qui manu, cum isto bustuario, configere  
audent. Initur consilium de prompto ad pugnam pugile  
deligendo; consultanti regi in mentem venit Iohannes  
Curceus, vnuis præ omnibus, ad singulare hoc certamen  
quam maximè effectus. Rex ad aulam vinctum, sine  
mora

mora, introuocari imperat. Ab eo, in medium allato  
sciscitur, vellētne pro regni diadēmate, pro patriæ li-  
bertate, pro principis salute, cum aperto reipub. hoste  
gladiatorium certamen instituere? Nam ita elatè, at-  
que amplè loqui rex voluit. Hic Curceus, pro te, inquit  
regeim appellans, genteim, & dignitatem tuam dedicco-  
rante, propugnare nolo. Verū si salus patriæ meæ in  
periculum, ac discriumen, ut refers, vocatur, in ea causa,  
meipsum ad omne periculum opponere, non recuso.  
Rex Curcei verba, tamquam hominis feruentiore, quām  
prudentiore animo prædicti, patientius tulit, & eum è  
vinculis emitti, imperauit. Præterea, quoniam perdiu-  
turna macie torridus fuit, corpus suum saginare iube-  
tur, quoad pristinæ lateribus vires accedant. Ast ad  
opima alimenta conuiuam, edacitate hiantem, adhor-  
tari, nihil necesse fuit. Siquidem adeò præter  
modum abdomen potu, pastuque onerabat, ut toto cor-  
pore, incredibiliter adipalis, tumesceret. Interea dum  
se Curceus roborat, aduenit dies, quo die pugna sit  
pugnanda. Prouocator in puluerem & circum, cum  
magna militari pompa, primus processit, horam ex  
hora exspectans, qua Anglus in dimicationem veniret.  
Occurrit eius exspectationi Curceus, & in medium  
se dat. Hunc ut alter adspexit, monstri granditate  
obstupefactus, iniquam esse certationem, proclama-  
uit: adiungens, se illuc venisse, cum viro aliquo, non  
cum vasto ac immanni capitone, gigantis simillimo,  
decertaturum. Atque ita, perinde quasi, ante pugila-  
tionem, manus daret, ex ferro ac manibus Curcei elas-  
pus, clam se ei subrepserit. Curcei fama hic augeri, &  
in omnium ore splendide ac magnificè versari cœpit.

Accessit

Accessit, cùm ambo principes, stato quodam tempore,  
de publicis negotiis sermones haberét, vt Gallorum rex  
Angliae regem impensè rogaret, Iohanni Curceo in man-  
datis dare, insignè aliquod fortitudinis suæ specimen e-  
dere. Adfuit accersitus Curceus, & super ingentem truncum  
galeam collocauit: postea manu dextera tenens  
strictum gladium, depressis superciliis, ardentibus oculis,  
atque obtorto collo vtrumque regem adspexit. Tum  
seipsum colligens, ac omnes membrorum neruos contendens, non modò galeam gladiatoria totius corporis  
firmitate persecare, sed etiam ensem in trunco ita altè &  
firmiter defigere, vt nemo homo inter adstantes, cùm ab  
ipso Curceo discederes, gladium è robore, vlla corporis  
contentione extrahere potuerit. Posteaquam magnam  
fortitudinis suæ admirationem intuentibus, & respecta-  
tibus mouebat, reges ex eo cauissam tetri ac terribilis ad-  
spectus coimter, & iucundè exquirere. Quid sibi ful-  
gentis gladij quassus volebat? Quos atra frontis nube-  
cula notabat? Qui sensus erat superciliarum oculorum  
flagrantia? oris seueritas? tumidae ceruices? Quid cogi-  
tabat? Quid intendebat? Ad hæc ille: si hic meus co-  
natus (iam me vobis indicabo) minus prosperè successis-  
set, ita me Deus iuuet, yestra latera (neque principes, ne-  
que populum excipio) meus ad vos intentus mucro pe-  
tisset. Subagreste hoc planeque rusticum quasi vasti la-  
nistæ responsum regum animos nihil magnoperè com-  
mouit, qui, agresti quadam morositate, factus fuit plau-  
sibilis. His rebus actis, Angliae rex pristinam Curceo li-  
bertatem, cum fortunæ restituzione, reddidit; qua recu-  
perata, in Anglia cunctari noluit, sed in Hiberniam se  
traicere pertentans, decem & quinque vicibus, quibus

e se flucti-

se fluctibus commisit, ventis reflantibus reiectus est in Britanniam. Veruntamen Curceus hanc nauigandi difficultatem magicis sagatū præstigiis , haut numinis decretis assignans,in maritimas Galliæ oras, commutandi litoris caussa se recepit, vti exin portum aliquem Hibernicum peteret. Ast inanis hæc contentio eum frustrata erat: quod toties contingit , quoties humana audacia cum diuina potentia bellare contendit. Nam non modò Gallicanos finus clausos inuenit, verùm inibi è vita excessit. Quis,& quantus is fuit,eius res gestæ,quas breuiter, summatimque perstrinximus , satis manifestè testificantur. Regis Maniæ filiam habuit in matrimonio, tamen nullam sobolem propagauit. Quod idem aliis quibusdam Hibernorum dominatoribus, id temporis, accidisse ferunt, quorum familiæ, cum liberorum nihil haberent, ad paucos redactæ fuerunt. Vir erat Curceus, præter communem hominum speciem & figuram, procerus,maximis viribus corporis,acri animo, magnoq[ue], in acie,cùm dux esset, vitam suam in periculum proiice-re nimis audacter consuescebat; in quo culpa non vacabat , cùm imperatorum cautio militum cautio habeatur. Commendatior autem nulla eius laus est posteritatis memoriæ,quam quòd omnis victoriæ gloriam numinis benignitati semper vnicè tribuerit. Quæ quidem grata accepti beneficij recordatio, cùm in cuiusq[ue]. Christiani animo insculpta esse debeat, tum in Curco fuit, præcipuo quodam modo, singularis.

HIBER-

## HIBERNICARVM

## APPENDIX,

EX SILVESTRO GERALDO CAMBRENSI,  
peruetusto scriptore, Collecta:

CVM RICHARDI STANIHVRSTI  
ADNOTATIONIBVS.

*Giraldi Cambrensis Præfatio,*

Illustrissimo Anglorum regi, Henrico Secundo,  
Giraldus Cambrensis.

## CAPVT PRIMVM.

**D**LACVIT excellentiae vestræ (inuictissime Anglorum Rex, Normania Dux & Aquitaniæ, & Comes Andegauie) me cum dilecto filio vestro, Johanne, in Hiberniam, à latere vestro transmittere. Ubi non tanquam trans fugæ, sed exploratoris officio fungens (cum in primis multa notarem, aliis regionibus aliena nimis, & prorsus incognita, siue nouitate valde miranda) cœpi diligens scrutator eruere; quis terræ situs? Quæ naturæ? Quæ gentis origo? Qui mores? Quotiens, à quibus, & qualiter subacta sit, & expugnata? Quæ noua? Quæ ve secreta, contra solitum sui cursum, in occiduis & extremis terrarum finibus, natura reposuit? Quos ultra fines, nec terra subsistit, nec hominum, vel ferarum habitatio est vlla. Sed trans omnem horizontem in infinitū, per inuestigabiles, & occultas vias, solus Oceanus circumfertur, & euagatur. Sicut enim orientales plagaè propriis quibusdam & sibi innatis præminent, & præcellunt

cellunt ostentis, sic & occidentales circumferentiae suis naturae miraculis illustrantur. Quotiens quippe tanquam seruis, & veris fatigata negotiis paullulum secedit, & excedit, remotis in partibus, quasi verecundis & occultis natura ludit excessibus. Colletis ergo, & electis elegantioribus cunctis, ea, quæ memoria digna videbantur, non inutile duxi in unum congerere, & industria vestrae, quam nulla ferè latet <sup>2</sup> historia, propalare. Poteram quidem, ut alij, aurea forte munuscula, falcones & accipitres, quibus abundat insula, vestrae sublimitati destinasse; sed quia magnanimo principi parvupendenda putavi, quæ de facili preterire possunt, & perire: ea potius curauit celsitudini vestrae mitti, quæ non possunt amitti. Illis posteritatem, per vos, instruere, quæ nulla valeat etas destruere. Dignas quoque tam vestras, quam inclita prolis vestrae virtutes, & victoriarum titulos summatim euoluere, styloque perstringere, non indignum reputavi, vt tanta temporis nostri gloria transitorie non pertranseat, verum enim usero, literarum beneficio, firmum perpetuitatis robur obtineat. Hoc etiam nostra diligentia dignè deberi non diffido, quia rerum, tam inclitè gestarum memoria multorum mentibus, imitabili exemplo virtutis, in posterum vigor accrescat: earumque lectio, sicut antiquis maiorum imagines & picturae, laudabili imitationis inuidia, tam animosis conferat, quam ignavis. Fstis scintillam strenuitatis adisciens, innatum illis ignem ascendens.

## RICHARDI STANIHVRSTI

## ADNOTATIONES IN CAP. I.

1. In hac appendice edenda, non fuit propositum, singula, quæ Giraldus Cambrensis, vel ut plerique scribunt, Cambrensis, literis mandauit, typis committere, sed prima quæque capita, nec ea etiam admodum curiosè syllabatimq; dictata, in lucem proferre.

proferre. Quod nostrum institutum non multum reprehensionis est habiturum apud eos præsertim, qui in Giraldi scriptis sunt volatati: in quibus multa, nimis altè repetita, & à proposito declinata, reperiuntur.

2. Plena profecto regis collaudatio. Nam antiquitatis notitia est, quæ admirationes in summis principib[us] efficit. Hac enim cognitione imbuti multò facilius possunt, suos mores conformare, aliorum virtutia castigare, perfidorum prodiciones anteuertere, ad rem publ. salutariter moderandam non viuorum modò scientiam, sed mortuorum etiam usum & consilia conferre. Non igitur audiendum est, quod ab idiotis dici solet: Ille præclarè rem publ. temperauit, iste exercitum prudentissimè continuit, quos tamen literarum inscios fuisse, ac rudes constat. Si hæc verè ab illis dicantur, miracula enuntiant. Nam si illiterati tantum præstiterunt, quid docti & erudit[i] fecissent?

### De situ Hiberniæ.

#### CAP. II.

**H**ibernia, post Britanniam, insularum maxima, unius contractioris diei navigatione, ultra Britannicas Wallias, in occidentali Oceano, sita est. Intra tamen Ultioniam & Scoticas Galvædias, duplo ferè angustiore spatio, mare coarctatur. Vtique vero utriusque terræ promontoria, hinc distinctius, illinc, ratione distantia, confusius, satis aperte, sereno tempore, perspici possunt, & notari. Insularum occidentalium hæc ultima. Hispaniam ob austro, trium dierum naturalium navigatione, collateralē habet. Britanniam maiorem ab oriente. Solum Oceanum ab occidente. Ab Aquilonari vero parte, trium dierum velifico cursu, borealium insularum maxima, Flan-dria iacet.

De Hispanico mari, duobus brachiis Britanniam  
& Hiberniam complectente.

## C A P . I I I .

**H**ispanicum autem mare, quod & Hiberum dicitur, vel ab Hibero flumine, vel quod hemisphaerij formam Hispania prætendat, de occidentali se inter Hiberniam & Hispaniam recipiens Oceano, gemino dividitur brachio. Quorum unum Hispaniam interluit, atque Britanniam, ac exinde in Boream se conuertens, Galliam dividit & Britanniam. Sed quanvis brachij istius ora crebris hinc inde terris, quibus nominari potuisset, attingitur, à Gallia tamen mare Galicum nominatur. Aliud verò Hiberi maris brachium Hiberniam, indirectum, versus Boream præterlabitur, & Britanniam. Cuius quantò longitudo protenditur, tanto latitudo artas immoratur ad partes, donec se aquilonari Oceano immisceat ad Orchades. Quæ videlicet Hibernia, quantò à cetero, & communi orbe terrarum semota, & quasi a ter orbis esse dinoscitur; tanto rebus quibusdam, solito naturæ cursu, incognitis, quasi peculiaris eiusdem naturæ thesanus, ubi insignia & pretiosiora sibi secreta reposuerit, esse videatur. Sic quidem Hibernia Britanniae collateraliter adiacet, ut quicunque ex portu Britannico in Occidentem nautigantibus, aliqua se ex parte, repræsentet. Britannia tamen duplo in quantitate, Hiberniam excedit. Cum enim utriusque longitudo, ab Austro in Boream extesa, iaceat, illa 800. millia passuum in longum: circiter verò ducenta millia in latum habet. Ista verò ab Reudanicis montibus, usque Columbinam (quæ Thorach dicitur) insulam, octo dierum magnis & Hibernicis, quadraginta scilicet millearia, excursibus, in longum protenditur. Quatuor verò à Dublinio usque Patricij Connacticumque mare, in latum expanditur. Tantæ siquidem Hibernia quantitatis esse

esse potest, quanta, circumscriptis, Wallia & Scotia, potior insulae Britannicae pars, regibusque antiquis appropriata, quam & Britones olim, à primo Bruti filio, Locrino, cui assignata fuerat, Loegriam dixerunt. 2

## ADNOTATIONES IN CAP. III.

1. Id est, per agrando quadraginta miliaria singulis diebus: quibus computatis 320. miliaria numerantur.

2. Absolute, ut arbitror, ponitur: ut sit sensus, Hiberniam cum Wallia & Scotia æquari, duabus ipsis Britanniae insulæ portionibus mensis.

De variis Solini, Orosij, Isidori & Bedæ sententiis  
quibusdam veris, quibusdam erroneis.

## CAP. IIII.

**S**olinus vero in centum viginti millia passuum satis exquisitè latitudinem Hiberniae diffundi describit, sed de longitudoine tacet. Quamobrem arbitror ipsi incognitam insulam, quam in humore magnitudinis esse testatur. Orosius vero certiori industria Hiberniam Britanniæ propinquam, longo spatio terrarum angustiorem, sed cœli solisque temperie magis utilem, protestatur. Isidorus quoque concordat Orosio, dicens, Hiberniam proximum Britanniam insulam, spatio terrarum angustiorem, sed situ fœcundiores. Beda vero Hiberniam tam aëris salubritate, quoniam serenitate multum Britanniæ, præstare afferit: de salubritate verum, de serenitate vero (salua pace veniaque sua) contrarium scribens, sicut ex sequentibus palam erit. Sicut enim Gallia Britanniam, sic & Britannia Hiberniam, aëris tam serenitate quam subtilitate longè præcellit. Quantò enim ad Euri partes magis aceditur, tanto cœli fasiem, quo purior & subtilior, tanto penetrabilior & inclemens aëris illustrat. Quantò vero

verò ad Circij, Zephiriique fines magis vergitur, occiduum temperiem quò nubilosior & obtusior, tantò benignior atque salubrior aura fœcundat. Terra quippe medio, inter Islandiam frigidam, & Hispaniam torridam, libramine porrecta, à contrariis hinc inde contracta temperantia, tam celi temperie, quam aëris salubritate feliciter Hibernia fœcundatur. Est autem Hibernia, pro quantitatis suæ captu, multò rotundior. In medio aliquantulum substricta, circa capita verò in amplitudinem dilatata. Britannia verò longior, & arctior esse dinoſcitur. Sed sicut Hibernia, contra Aquilonem, Britannia longè breuior & mutilatior, ita & in Meridiem non minor, verum etiam, juxta Bedæ assertionem, trans illius fines se multùm protendit.

## ADNOTATIONES IN CAP. IIII.

1. Nihil scriptum reliquit Solinus de latitudine aut longitudine Hiberniæ.

*Solin. cap.  
25.*

2. Mendax locus, corruptusque totus erat Solini liber, qui ad Giraldi manus peruenit. Apponam auctoris verba, ut in correctioribus exemplaribus imprimuntur. Multis insulis, nec ignobilibus (Britannia) circundatur: quarum Hibernia ei proximat magnitudine. Inhumana est, ritu incolarum aspero: alias ita pabulosa, ut pecora, nisi interdum à paſciuis arceantur, in periculum agat satias. Hæc Solinus. Non ergo affirmat, Hiberniam inhumanæ esse magnitudinis, quemadmodum Giraldus scribit, sed magnitudine ad Britanniam quam proximè accedere: insulam verò ipsam, propter ferinam illius temporis barbariam, ab omni humanitate vacuam esse.

## De æqualitate Hiberniæ, &amp; inæqualitate.

## C A P. V.

**H**ibernia quidem terra inæqualis, & montuosa, mollis & aquosa, silvestris & paludosa, verè terra deserta, invia, sed

sed aquosa. Videas hic igitur supra montes aquas stare. In summis enim aëreorū, arduorumq. collī verticibus, stagna reperies, paludes. Planicies tamen habet per loca pulcherrimas, sed respectu siluarum<sup>2</sup> modicas. Est autem per omnia ferè sui latera, marinaque litora terra valde demissa. Interius tamen in colles varios, arduosque montes<sup>3</sup> enormiter erecta; non tantum circumferentias, verū etiam penitimas sui partes sabulosas magis habens, quam saxosas.

## ADNOTATIONES IN CAP. V.

1. Alludit parum accommodatè ad istum vatis versiculum Psal. 62. In terra deserta, inuia, & inaquosa. Verū Hiberniam non adeò desertam fuisse eo tempore, etiam ipso Giraldo teste, liquido apparet, cap. primo, ita scribit. Poteram quidem, ut alij, aurea forte munuscula, falcones, & accipitres, quibus abundat insula, vestræ sublimitati destinasse. cap. 6. campos frugibus abunde vestiri docet. cap. 7, magnam vini vim in Hiberniam affportari testatur. Passim in historia, magnam Hibernorum multitudinem in armis fuisse, declarat. Quibus omnibus in vnum collectis, consequens est, Hiberniam non fuisse desertam; nisi illam terram desertam esse Giraldus velit, quæ aureis munusculis abundat, in qua incolæ agriculturæ operam nauant, cum transmarinis mercatoribus commercia habent, quæ in quatuor insulæ portione populis referta est.

2. Id potuit verum fuisse, temporibus illis: nostra ætate falsum est. Nam maior Angliae Provinciæ pars siluis caret, adeò ut incolæ cespitibus, magna ex parte, vrantur. Dublinienses sulphureis carbonibus, ex Britannia ad portatis, luculentos focos sustentant.

3. Non ita passim, imò admodum raro tales montes reperiuntur

## De glebae fertilitate,

## C A P. VI.

**G**Leba præpingui, uberiæ frugum prouentu felix terra est, & fœcunda. Frugibus arua, pecore montes, nemorosa feris abundant. Pascuis tamen, quam frugibus: gramine, quam grano fœcundior est insula. Multam fruges in Hibernia, plurimam in culmis, minorem in granis spem promittunt. Tritici namque grana contracta sunt hic, & minuta, & vix alicius vanni beneficio purganda. Abunde satis & campi vestiuntur, & horrea sarcuntur, sola verò granaria destituuntur.

## ADNOTATIONES IN CAP. VI.

1. Totum istud, ætate nostra, falsum est. Quinetiam passim, in Anglica prouincia, reperitur quoddam genus tritici, quod Normandicum appellatur, satis grande, & plenum. Valde ferax est Hibernica gleba, dummodo, in subacto & iterato solo, agricultæ sementem faciant.

## De ventositate, &amp; pluiositate, earumque caussis.

## C A P. VII.

**Q**uod ver gignit, & parturit, ætas nutrit, & prouehit, vix in messe pluialis aquositas colligi permittit. Eo licet namque flatibus, & pluialibus inundationibus, præ aliis terris, hæc exuberat, collateraliter verò Zephyro, ab Australi parte. Frequentior, & procellosior alius Corus hic regnat, omnes ferè occidentales arbores, in eminenti positas, partem in oppositam vel inclinans, vele euertens. Terra nimirum mari immenso, & ex omni latere ventis exposita, nullam penitus, partibus ex illis, propinquam seu remotâ solidi obstaculi defensionem habet. Adhæc etiam aquæ, in nubibus contractæ & congregatae, ob tantam

tantam<sup>4</sup> loci illius intemperiem, nec aetherei caloris igne consumta, nec algoris aërei nexibus adstricto, & in niueam glacialém-  
 ve naturam concreta, demum in pluvias facilimè resoluuntur.  
 Item hic quoque terra, sicut & alia quilibet montuosa, pluvias  
 abundè gerit & nutrit. Terrea quippe montanaque præcipue  
 frigiditate consumti caloris, in evacuata attracti humores in na-  
 tuam originem de facili conuertuntur. Qui etiam, iuxta situs  
 varios, varia vocabula sortiri solent. Dum enim adhuc collibus  
 incumbunt, nebulæ nuncupantur; altius elati, & à terreno  
 contagio liberè sublimati, nubes vocantur; guttatum verò minu-  
 timque ad imareuertentes, seu liquidi, seu concreti, nunc niues,  
 nunc pluviae dicuntur. Hinc igitur Hibernia, Wallia, & Scotia  
 pluvias abundant. Pascuis, & pratis, melle, & latte, vinis, non  
 vineis diues est insula. Beda tamen, inter alias insulæ laudes, di-  
 cit eam vinearum expertem non esse. Solinus verò, & Isiodo-  
 rus apibus eam carere afferunt. Sed salua ipsorum venia, circum-  
 spectus è diuerso scripsissent, vineis ipsam carere, & apium ex-  
 pertem non esse. <sup>5</sup> Vineis enim, & earum cultoribus semper ca-  
 ruit, & caret insula. Vina tamen transmarina, ratione commer-  
 ciij, tam abundè terram replent, ut vix propaginis, proiectusque  
 naturalis, in aliquo, defectum percipiatis. Pietavia namque de  
 plenitudine sua ei copiosè vina transmittit, cui & animalium co-  
 ria, & pecudum ferarumque tergora Hibernia non ingrata re-  
 mittit. Apes quidem, sicut alie nationes, hæc mellificas habet. In  
 maiori tamen, ut arbitror, <sup>7</sup> copia scaturirent, si non venenosas  
 & amaras, quibus silvescit insula, fugerent examina taxos, vel  
 potius si non aëris Hibernici, tanta cum humiditate, ventositas  
 minuta corpuscula tam disperderet, quam corrumperet. Fauora-  
 biliter autem dici potest, tempore Bedæ, nonnullas forsitan, in  
 insula, <sup>8</sup> vineas fuisse, & longè post Solini tempora S. Domini-  
 cum Ossiriensem, vt afferunt quida, apes in Hiberniam detulisse.

Ceterum ipsos in hoc excusabiles vix inuenio ; quod adeo apibus  
 9 inimicam hanc terrā afferunt, ut aduectos etiam inde <sup>9</sup> pul-  
 ueres seu lapillos si quis alibi intra duaria sparserit, examina-  
 fatus deferant. Beda quoque ceruorum, caprorumque venatus  
 insulam istam dicit insignem, cum eandem tamen semper capris  
 10 caruisse constet, & carere. Nec mirum est, si à tramite veri-  
 tatis interdum deuiauerint, cum nihil oculata fide, nihil nisi per  
 indicem, & à remotis agnoverunt. Tunc enim res quelibet certi-  
 fissimo nititur de veritate subsidio, cum eodem vtitur relatore,  
 11 quo <sup>11</sup> teste. Ob tantam inde sollicitam, & in plerisque certi-  
 simam remotissimarum rerum indaginem, debita sunt laude non  
 indigni. Et quoniam nihil humanum omnino perfectum, omniū-  
 que habere notitiam, & in nullo peccare, potius diuitias est,  
 quam humanitatis, errores, forte si qui ex parte irrepserint, tam  
 imperfectionis conditio, quam ipsa locorum distantia reddit ve-  
 niales. Hanc igitur veniam petimusque damusque vicissim, nihil  
 unquam humanum à nobis alienum esse putantes.

## ADNOTATIONES IN CAP. VII.

1. Hoc perrardò contingit, alioquin agricolarum labor prorsus inanis esset, si per aquam pluuiam quotannis aducheretur tantum incommodorum.
2. Hoc verum esse, nunquam obseruauit.
3. Nihil sane minus. Quassari hīc possunt arbores, ut alibi, turbida aliqua, & extraordinaria tempestate, quod non ita frequenter obtingit.
4. Per locum, medianam aëris regionem intelligi oportet. Nam alioqui Giraldus sibi repugnaret, qui suprà cap. 4. temperiem Hiberniae summis laudibus in cælum effert.
5. In eandem sententiam hi versiculi, nescio à quo, erant scripti. *Dum pluit, est pluia: & nimbus, dum nubibus hæret:*  
*Dum terram tangit, protinus imber erit.*
6. Non erate ea mens Bedæ, vt scriberet, vineta esse in Hibernia,

bernia, sicuti in Gallia, aut Hispania, sed vineas quasdam in hortis reperiri, quemadmodum in Anglia, quod verum est. Atque eum fuisse Bedæ sensum, non dubito.

7. Ingens apum copia, in Hibernia, abundat. Non enim in rusticani modò alueariis, sed passim etiam, ferè in quoquis vacuo silvestri trunco, & in terræ cauernis, examina reperiuntur.

8. Quo pacto hoc dici poterit, cùm Giraldus antea hoc ipso capite, sine exceptione, asseueret, Hiberniam semper vineis caruisse. Sed qui fuit Bedæ sensus suprà explicauimus.

9. Solinus re vera hoc affirmat, in quo vehementer errat. Verba eius sunt: Apes nusquam. Aduictum inde pulucrem, Solin. cap. 25. seu lapillos si quis sparserit, inter aluearia, examina fauos deserunt.

10. In correctioribus exemplaribus nulla caprarum mentio à Beda fit. Dives, inquit, lactis ac mellis insula, nec vinearum expers, piscium, volucrumq. sed & ceruorum venatu insignis. Beda lib. I. His. Eccles. cap. I. hæc Beda. Verum ipse Giraldus dum Bedam reprehendit, mihi, offendere, videtur, cùm scribat, Hiberniam à capris semper desertam fuisse. Magnum caprorum. caprarumque numerum ibi iam esse, non opus erit comprobare: atque ea abundantia non in Anglicâ prouincia, sed in ipsis Hibernorum territoriis, magna ex parte, reperitur. Quin etiam temporibus D. Brigidae, quæ multis lustris ante Giraldum natum vixit, capras in insula fuisse, sic docco. Etenim Giraldum contra Giraldum testem produco. Ille topograph. distinct. 2. notabilia quædam Hiberniæ loca literarum monumentis mandat. Inter alia, de quodam cōtinuo igne, qui à D. Brigida fuit institutus, in opido Kilddariensi, ita loquitur: Virgea quadam, & orbiculari sepe ignis iste circuitur, intra quam mas non intrat: & si forte intrare præsumperit, quod à temerariis quibusdam nonnunquam est attentatum, diuinam vltionem non euadit. Item mulieribus solūm, & his non oris flatu, sed follibus tantum & ventilabris ignem licet exsufflare. Item per imprecationē virginis caprarum foetus hic non perueniunt. Haec tenus ille. Quorū quæso caprinos foetus abigendos à sepibus virgo orasset, si nulli tales, in Hibernia, vñquam fuerunt?

*Solin. cap.  
25.*

11. Fama mendax est, & scriptores sæpe numero in errorem rapit. Solinus scribit, in Hibernia, auem esse raram. Ast vbi aves abundant, si in Hibernia non abundant? Adhæc ita pabulosam insulam affirmat, vt pecua, nisi interdum à pascuis arceantur, in periculum agat satias. Quod secus est. Item mare, inquit, quod Hiberniam & Britanniam interluit, vndosum & inquietum toto in anno, non nisi æstiuis pauculis diebus est nauigabile. Solinus errat. Satis tranquillum est, nisi ventorum vi agitetur. Et non solum æstate, sed etiam summa hieme, vectores vltro ci-  
*Lib. I. Ec-  
cles. Hisb.  
cap. I.*  
troque nauigant. Beda refert, niuem vltra tridui spatium raro in Hibernia manere. Quod non est ita. Niuis tempus non est adeo statum, & certum. Sæpius per vnum mensem, raro per duos pruinæ ac niues in Hibernia hærent. Interdum tota hie-  
me nullas dispicies. Falsi rumores historicos nimis credulos in huiusmodi errores inducunt.

De Bernacis ex abiete nascentibus, earumque  
naturis. C A P . V I I I .

1 **S**Vnt tamen aues hic multæ, que bernace vocantur, quas mi-  
2 rum in modum contra naturam natura producit. Ancis quidem palustribus similes, sed minores. Ex lignis namque abie-  
tinis, per aquora deuolutis, primò quasi gummi nascuntur. De-  
hinc tanquam ab alga ligno cohærente conchilibus testis ad li-  
beriorem formationem inclusæ, per rostra dependent. Et sic,  
quousque processu temporis, firmâ plumarum vestituram indu-  
ta, vel in aquas decidunt, vel in aeris libertate volatu se trans-  
ferunt. Ex succo ligneo marinoque, occulta nimis admirandaque  
seminij ratione, alimenta simul incrementaque suscipiunt. Vidi  
multotiens oculis meis plusquam mille minuta huiusmodi avium  
corpuscula, in litore maris, ab uno ligno dependentia, testis in-  
ducta, & iam formata. Non ex harum coitu, vt adsolet, oua gi-  
gnuntur, nec auis in earum procreatione unquam ouis incubat.  
In nullis terrarum angulis vel libidini vacare vel nidificare  
viden-

Videntur. Unde & in quibusdam Hibernia partibus, aribus  
 istis tanquam non carneis, quia de carne non natis, episcopi &  
 viri religiosi, ieumorum tempore, sine dilectu vesci solent. Sed  
 hi quidem scrupulosè mouentur ad delictum. Si quis enim ex  
 primi parentis, carni quidem, licet de carne non nati, <sup>3</sup> femore  
 comedisset, cum à carnium eis non immunem arbitrarer. Respi-  
 ce infelix Iudæ, respice vel sero <sup>4</sup> primam hominis generatio-  
 nem, ex luto sine mare & fœmina: secundamque ex mare sine  
 fœmina, ob legis venerationem, diffiteri non audes. Tertiam so-  
 lam, ex mare scilicet & fœmina, quia visualis est, dura ceruice,  
 approbas, <sup>5</sup> affirmas. Quartam verò, in qua sola salus est, ex  
 fœmina scilicet, & sine mare, obstinata malitia, in propriam  
 perniciem detestaris. Erubet miser erubet, & saltet ad na-  
 turam recurre, que ad argumenta fidei, ad instructionem no-  
 stram noua cottidie animalia, sine omni mare vel fœmina, pro-  
 creat & producit. Prima ergo generatio ex limo, & hæc ultí-  
 ma ex ligno. Illa quidem, quoniam à domino naturæ tantum se-  
 mel, ideo semper obstupenda processit, istam verò non <sup>5</sup> minus  
 admirabilem, minus tamen admirandam, quia sæpe, imitatrix  
 natura ministrat. Sic enim composita est humana natura, ut ni-  
 bil preter inusitatum & raro contingens, vel preciosum ducat,  
 vel <sup>6</sup> admirandum. Solis ortum & occasum, quo nihil in mun-  
 do pulchrius, nihil stupore dignius, quia cottidie videmus, sine  
 omni admiratione præterimus. Eclipsim verò solis, quia rarius  
 accidit, totus orbis obstupescit. Ad idem etiam facere videtur  
 flatu solo, & occulta quadam inspiratione, citra omnem mixtu-  
 ram, apum ex fauo procreatio.

## ADNOTATIONES IN CAP. VIII.

1. A nostris Bernaculæ appellantur.
2. Quid hoc verbo significetur, prorsus ignoro, nisi forte  
legendum

legendum sit, anaib[us] quidem palustribus similes, sed minores.

3. Hoc exemplum, quo, pro argumento, ad infirmandam atque frangendam Hibernorum antistitum sententiam, usus est Giraldus, non aptè ad rem propositam fuisse accommodatum, satis luculentè scripsimus, in Hiberniæ descriptione, Anglice à nobis edita. Dissimilis ratio est eius, qui supra naturæ vires creatus est, qualis fuit Adamus, ac eorum animalium, quæ naturali efficientia dignuntur. Certè in scholis creari, & gigni plurimum distare, doctos non fugit. Veteres philosophi ex nihilo nihil fieri docuerunt; creari tamè aliquid ex nihilo, Christiani credunt. Hibernos antistites ita fuisse argumentatos, arbitror. Quidquid est caro, ex carne, communis naturæ cursu, gignitur: Ast talem ortum Bernaculæ non habent: non sunt igitur carnes. Carnem, visitato loquendi more hic accipiendam admonemus: nam piscium etiam carnem dici auctor est D. Paulus. 1. Corinth. 15.39.

4. Similem habet sententiam D. Thomas, part. 3. quæst. 31. art. 4. in corp. Primus, inquit, homo productus est, ex limo terræ, sine viro & fæmina: Eua verò producta est ex viro, sine fæmina: alij verò homines nascuntur ex viro & fæmina. Vnde hoc quartum, quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex fæmina, sine viro.

5. Est minus admirabilis. Nam vt homo dignitate, ita ortu & origine, ceteris animantibus multum præstat. Amplius est hic ad philosophandum campus, sed huic loco inopportunus.

6. Ita D. Augustinus, tract. 24. in Iohan. Miracula, inquit, quæ fecit Dominus noster, Iesus Christus, sunt quidem diuina opera, & ad intelligendum Deum, de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantiæ, quæ videri oculis possit, & miracula eius, quibus totum mundum regit, vniuersamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt: ita vt pænè nemo dignetur attendere opera Dei mira & stupenda in quolibet semenis grano: secundum ipsam suam misericordiam, seruavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore, præter visitatum cursum ordinemque naturæ, vt non maiora,

maiora, sed insolita videndo, stuperent, quibus cottidiana vi-  
luerunt. Maius enim miraculum est gubernatio totius mun-  
di, quam saturatio quinque millium hominum de quinque  
panibus. Et tamen hoc ne mo miratur: illud mirantur homi-  
nes, non quia maius est, sed quia rarum est. Quis enim & nunc  
pascit vniuersum mundum, nisi ille, qui de paucis granis sege-  
tes creat. Hæc D. Augustinus.

De variis insulæ laudibus, terræque naturis.

C A P . I X .

**T**erra terrarum hæc omnium temperatissima. Non cancri  
calor exæstuans compellit ad umbras. Non ad focos ca-  
pricorni rigor urgenter inuitat. Niues hic raro, & tunc <sup>1</sup> mo-  
dico tempore, durare videbis. Ex omni tamen vento, non mi-  
nus Subsolari Faunioq. & Zephyro, quam Circio, & Boreali  
quandoque brumescit. Ex omni quidem modicè, ex nullo immo-  
deratè. Sicut aestiuo, sic <sup>2</sup> biemali tempore herbosa virescunt  
pascua. Vnde nec ad pabula <sup>3</sup> fœna secari, nec armentis unquam  
stabula parari solent. Aeris amoenitate temperieque tempora ferè  
cuncta tepeſcunt. Aeris quoque clementia tanta est, ut nec ne-  
bula inficiens, nec spiritus hic pestilens, nec aura corrumpens.  
Medicorum opera parum indiget insula. Morbidos enim homi-  
nes, præter moribundos, paucos inuenies. Inter sanitatem <sup>4</sup> con-  
tinuam, mortemque supremam nihil ferè medium. Aduenarum  
tamen una hic ferè est passio, & unica vexatio. Ob humida  
namque nutrimenta, immoderatum ventris fluxum vix in pri-  
mis villus euadit. Præterea per totum pæne anni circulum car-  
nes ad esum, & vaccine valent, & <sup>5</sup> porcinæ nocent. Item ne-  
mo unquam indigenarum hic natus, terram, aeremque salubrem  
non egressus, ultra trium generum specie febricitauit. Solè ve-  
xantur acutæ, & aquæ perraro. Hic quidem tenor naturaliter re-

*bus inerat, sed mundo senescente, & tanquam in decrepitæ atatis senium iam vergente, & ad finem tendente, cunctarum ferè natura rerum corrupta & in deteriorius mutata. Tanta siquidem pluuiarum hic iam inundat vberitas, tanta nebularum & nubium incumbit impuritas; ut vix tres dies, vel astuos, continua serenitate clarescere videoas. Nulla tamen aëris virulentia, nulla temporis intemperies vel sanos & hilares hic contristat, vel etiam delicati capitis cerebrum turbat.*

## ADNOTATIONES IN CAP. IX.

1. Interdum satis longo tempore, quod facile est obseruatu.
2. Nostra ætate aliter se res habet.
3. In Hibernorum territoriis, vbi corpora incolæ exercent, raro homines in morbum cadunt: sed in Anglica prouincia saepius ægrotant.
4. Porcina caro hieme non nocet, imò germani Hiberni ad illud cibi genüs insaturabili auditate rapiuntur, quemadmodum libro primo posui.
5. Aliter in Anglica prouincia accidit.
6. Hoc certè, nostro tempore, ab omni veritate abest.

## De terræ istius habitatoribus.

## C A P. X.

**D**E ce<sup>t</sup>ero tempus esse videtur, ut ad primos terræ istius habitatores, singulōsque sigillatim diuersarum nationum aduentus, stilum vertamus. Qualiterque, & quibus ex partibus huic aduenient, quantamq. moram in insula fecerint, quo ve tenore defecerint, quam breuius, & luculentius poterimus, explicemus. Competens enim ordo depositit, ut postquam terram ipsam in Oceano fundauimus, situm & naturam, variasque animantium eiusdem tam proprietates, quam defectus, rerumque nouitatem

tates enodauimus, tandem hominem ipsum, tanquam digniorem operis partem, & cuius gratia de ceteris differuius, introducamus, eiusque mores & modos, variisque, iuxta fortunae vi-ces, rerum euentus, ut ad nostra iam tempora, declaremus. Ut sicut laudabili antiquorum industria nostri temporis auctas sunt studia, sic, longè licet inferiore hyra, calamoque fragili, dispari nimis & valde dissimili, ut magnis componi parua solebant, nostra quoq. diligentia, posterorum studiis aliquid adiiciatur, ne per ignaviam & socordiam tempora ducamus otiosa, & non tanquam communii omnium commodo, sed nobis solùm inutiliter, & tanquam bestie, sine causa, nati videamur. O quām preclariorē, quām præcellentiorē prædicti sunt animo, qui pretiosum illud Dei donum, nobilem scilicet & incomparabilem scientiae thesaurum non abscondunt, sed larga potius, laudabilique liberalitate, curætorum mentibus, vel dicendo vel scribendo, gratis acceptū, cum sui incremento, gratis impendunt, luculentam quoque, multaque lucubratione plurimum elaboratam sapientiae lu-cernam (ut omnibus in commune deducta pulchrius elucescat) palam exponunt. Sic (¶) corum dignè commendanda videtur intentio, qui, quoniam breves dies hominis sunt, & tempora transitoria, propensius euigilant & elaborant, egregio aliquo facinore, memoriam sui in aium extendere, dignisque virtutum titulis perlongam facere, vel potius quoniam mometanea est vi-ta, mortiq. accommoda, quam spiramus (¶) exspiramus, perpe-tuam sibi, mortique penitus impermixtam, spirabilem scilicet & inexspirabilem, bonorum operum studiis, comparare.

De primo aduentu Cesarae : scilicet, neptis Noë,  
ante diluvium. C A P. XI.

**I**Vxta antiquissimas igitur Hiberniensem historias, Cesara,  
neptis Noë, audiens diluvium in proximo futurum, ad re-

motissimas Occidentis insulas, quas necdum quisquam hominum habitauerat, cum suis complicibus fugam nauigio destinauerat. Speras ubi nunquam peccatum perpetratum fuerat, diluij vindictam locum non habere. Amisis itaque, quas in comitatu habebat, naufragio nauibus, una, qua cum viris tribus, & quinquaginta mulieribus vobebatur, naue superstite, primo ante diluvium anno ad Hibernica litora sorte deuenit. Sed licet acutè satis, & laudabili, in fœmina, ingenio, fatalitatem declinare statuerit, communem tamen interitum, & ferè generalem nullatenus potuit, evitare. Litus igitur in quo nauis illa primùm applicuit, nauicularum litus vocatur. Et in quo præsumata tumulata est Cesara, usque hodie Cesara tumulus nominatur. Veruntamen cunctis ferè per diluvium iam deletis, qualiter rerum istarum & tam euentus quam aduentis memoria, post diluvium, retenta fuerit, non indignum videtur dubitatione. Sed qui historias istas primò scripserunt, ipsi viderint. Historiarum enim uero enucleator venio non impugnator. Sed fortè in aliqua materia inscripta lapidea scilicet, vel latericia (sicut de arte musica legitur, ante diluvium inuenta) istorum memoria fuerat reseruata.

## ADNOTATIONES IN CAP. XI.

- Scitè satis dictum. Nec etiam hæc fabula digna est, quæ refellatur. Primùm si fœmina peracuta imminentem vndarum aduentum præsigire valuit, cur non cum auunculo manfit? Deinde qui potuit nauibus ad Hiberniam adspirare, cum id temporis nauigandi ars prorsus ignota fuerit? Ast quorsus histricis immoramus?

De

De secundo aduentu Bartholani, scilicet 300. annis  
post diluvium. CAP. XII.

**T**Recentissimo vero post diluvium anno Bartholanus, Seræ filius, de stirpe Japhet, filij Noë, cum tribus filiis suis, eorumque vxoribus, vel casu, vel industria, hoc est, vel errore viæ, vel optima opinione patriæ, Hibernia litoribus fertur appulisse. Erant autem tres filii eius, Languinus, Sallanus, Ruturugus. Qui, cum nominum suorum indicia rebus largirentur extatibus, perpetuam sui memoriam, et quasi viuacem quandam presentiam sunt inde sortiti. A primo enim filio, Lagimi stagnū: à secundo, mons altissimus, qui illi imminet mari, quod Hiberniam interfluit, atque Britanniam, Salanga nominatur. Quins ad radices quia longis post temporibus S. Dominicus nobile monasterium construxerat, mons Domini, iam visitatius nomen habet. Ruturugus vero, qui duobus tertius successerat, Ruturugo nomen stagno donauit. Sub hoc autē Bartholano gestorum pauca reperimus insignia. At non alia, nisi ferè vastissima quattuor stagna subito ex terræ visceribus erubantia. quattuor nemora, studio agriculturae succisa, et radicitus aulsa, atque in campestrem puritatem, non sine magno multorum sudore, redacta. Eo enim temporis, tota propemodum terra, præter montana quæda, et ipsa rarissima, silvis immensis, et fruticosis nemoribus fuerat obsita; ut ubi exercearentur aratra, campana planicies vix inveniretur. Sed etiam adhuc hodie, respectu siluarum, pauca sunt hic campestria. Bartholanus vero, cum filiis suis et nepotibus, non mediocriter tam in rerum successibus prosperari cœpit, quam successionibus. Nam ab aduentu eorum, postquam trecentorum annorum evolutus est circulus, ad novem iam millia virorum successionis sue traditur numerus excreuisse. Tandem vero in bello magno, quod cum gigantibus gesit, potuit victoria,

ria, quia mortalium prosperitas nescit esse perpetua, et) quoniam faciles dare summa deos, eademque tueri, difficiles: & quia summis hunc numina rebus crescendi posuere modum: in se magna ruunt summisque negatum, stare diu, nimiumq. graues sub pondere lapsus: subita pestilentia, ex aeris forte corruptione, de interemtorum gigantum cadaveribus exorta, eum, cum omnibus ferè suis, aboleuit euentus. Ex illa namque mortalitate solus fertur euafisse Ruanus. Qui scilicet Ruanus, ut antiquæ referunt historiæ, post multa & plura, quam de facili credi possit annorū curricula, usque ad tempora beati Patricij reservatus, & ab eo baptizatus fuit. Hic verus, ut aiunt, historiæ relator cuncta gentis gesta, à memoriæ sinibus, præ nimia antiquitate, abolita, S. Patricio replicabat. Nihil enim tam fixum animo, quod negletu, & tempore non abolescat. Hic quidem Ruanus licet à morte viuendi quidem inducias extorserit, pacem tamen non impetravit. Licet enim ultra communem, et) consuetum fluxæ ac momentaneæ vitæ terminum, mortem longè distulerit, debitam tamen miserae carnis fatalitatem non evasit. Ruanus iste, prout ex Hibernicis historiis colligi potest, trans omnem antiquorum patrum longævitatem, licet incredibile valde videntur, & calunniæ obnoxium, multis annis vitam produxisse, perhibetur.

## AD NOTATIONES IN CAP. XII.

1. Nostra ætate rem aliter esse, suprà demonstrauimus, cap.  
5. Adnot. 2.

2. Nec mirum. Nam si hæc narratio vera sit, Ruanus annos ferè vixit 2041. Ast huiusmodi insomnia recitare, refutare est.

De Tertio aduentu Nemedi, scilicet à partibus  
Scythix, cum quattuor filiis suis.

## C A P . X I I I .

**P**RFATO igitur Bartholano, cum omni successione sua, acerbæ  
continuæque pestilentia mucrone detrito, aliquandiu terra,  
suo nuda cultore, remansit, donec Nemedus, Agnominij filius,  
natione Scythicus, cum quattuor filiis suis, ad desolata litora ter-  
rae deuenctus est. Starium, Gerbanelem, Anninum, <sup>Circa annis  
mundi.</sup> Fergusum-  
que filios hic habuit. In ciuis Nemedi temporibus, quattuor  
<sup>2</sup> stagna, subito, inopinatōque impetu emersa, multa nemora <sup>(t)</sup>  
silue in campos, & plana sunt redicta. Hic cum piratis, qui Hi-  
berniam grauiter depopulari consueuerant, quattuor bella gesit  
crudelissima, cui ubique cessit victoria. In quadam tamen au-  
stralib Hiberniæ insula, diem obiit, quam & sui nominis perpe-  
tuam fecit hæredem. Filiorum autem Nemedi, nepotum, abne-  
potumque successio, in breui generis numerositate, in tantum  
excrevit, ut totam ferè insulam longè abundantius solito, per  
omnes eius angulos adimplessent. Sed quoniam plus grauitatis  
habent res, quæ cum tempore crescunt, & rara solet subitis re-  
bus inesse fides: sicut subito in tantam excreuerat multitudi-  
nem, sic subitis, <sup>(t)</sup> inopinatis rerum euentibus, <sup>(t)</sup> casu longè  
citiore, quam ortu defecerunt. Bellis namque frequentibus  
que cum <sup>3</sup> gigantibus gesserant, quibus tunc temporis abunda-  
bat insula, variisque incommodis <sup>(t)</sup> infortunis, maxima pars  
in breui deleta fuit. Pars verò residua tot imminentia, ea tem-  
pestate, malorum incommoda, fuga præsidio, declinans, partim  
Scythiam, partim Græciam nauigio petierunt. Ducentis igitur,  
<sup>(t)</sup> quindicim annis Nemedi generatio Hiberniam tenuit, <sup>(t)</sup>  
ducentis postmodum annis vacua fuit.

A D N O-

## ADNOTATIONES IN CAP. XIII.

*In Catal.  
reg. Scot.*

1. Iste Fergusius non est is, qui primus Scotorum rex ab Hectore Boëthio ponitur, qui fuit non Nemedi, sed Ferquuhardi filius, multisque lustris post Nemedi occasum, communem à natural lucem accepit.

2. Fortè legendum: quattuor stagnis subito inopinatoque impetu immersis.

3. De gigantibus multa in vtramque partem disputari possunt, verūm quia Alchimus Auitus, Viennensis antistes, ornatusq; atque optimis versibus, de illis dixit, non alienum est, cius sententiam in medium proferre:

*Alchim. Aui.  
lib. 4. cap. 4.  
habetur in  
Biblioth. 5.  
patr. tom. 7.*

Tempore quinetiam peccatrix terra sub ipso  
Nutribat saeuos, immania monstra, gigantes.  
Nec tamen effari solitum, quo semine cretos.  
Communi cunctis ortum de matre ferebant:  
Qui genus, vnde patres, prohibent arcana fateri.  
Si speciem queras, humani corporis illis,  
Plus vultus, quam forma fuit: sic linea, membris  
Conueniens hominem monstrabat, diffona molem.  
Quapropter deinceps commentis Græcia fictis  
Dedecus infandum massis informibus auxit,  
Et portentosis descripsit corpora membris:  
Pube tenus quum forma viri, quum corporis ima  
Supplerent vasti mixto pro crure dracones,  
Artus semihominum patulis qui faucibus, imo  
Integros, viuosque homines crudo ore vorarent.  
Tunc etiam aiebant diro terrore, tonanti  
Blasphemis cælo conuicia mittere plantis  
His similes mendax Phlegræi fabula belli.  
Excussas finxit iecisse per aëra rupes:  
Pro telis, spacioſa manus quas turbine mentis  
Sparserit, & missis cælum quassauerit aruis.  
Hæc sunt priscorum, quæ de terrore gigantum,  
Carmine mentito, Graij cecinere poëtae:  
Qui cælum aduersus prauis contendere factis

Institute-

Institerint, nec iam missis configere tēlis  
 Quum possent, diris agitarint p̄cilia votis.  
 Montibus impositos nec enim fas credere montes,  
 Hoc tamen & deinceps illos tentasse putabo,  
 Qui coctos lateres, lentoque bitumine iunctos  
 In sublime rati manibus sic posse superbis  
 Sustolli, & celsas in sidera surgere moles.  
 Quum fureret mortale genus, cassoque labore  
 Irrita consensis commenta inferret in altum  
 Nubibus, & refugum sequeretur machina cælum  
 Non prius absens, subitas discordia linguas  
 Quād daret, & varius confunderet omnia sermo,  
 Hinc sparsum fœdus, diuisa lege loquendi,  
 Quod scelerum assensu turbata superbia rupit.  
 Sic interruptæ perierunt culmina massæ :  
 Effectuque carens cessauit in æthere turris.  
 Hæc post Diluuium : nam quantas tempore prisco  
 Pressa gigantæas tellus produxerit arces,  
 Atque lacestis contemtum immiserit astris,  
 Abstergente Deo dira cluione doceimur.

Genes. 12.

Si cui cordi sit, plura de gigantibus scire, legat D. August. lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 23. D. Hieron. cap. 66. in Esai. D. Ambros. lib. de Noë, & arc. cap. 4. & cap. 34. D. Cyrill. Alexand. lib. 3. in Genes. & lib. 9. contra Iulianum. Tertull. libr. de Resurrect. car. circa medium, & adnotat. Renat. Lauren. in eundem locum. Isid. Etymol. lib. 11. cap. 3. Albin. Carol. quæst. in Gen. quæst. in cap. 6. D. Thom. postil. in cap. 6. Genes. Francisc. Georg. proble. Sect. 2. de Noë, & Dilu.

## De Quarto Aduentu, scilicet fratrum, &amp; filiorum

Delæ. C A P. X I I I .

**H**ec itaque seriatim, hoc tenore, completis, tandem quinque  
 duces, & hi germani fratres, filij scilicet Delæ, de predi-  
 cta Nemedi posteritate, que in Græciâ secesserat, in Hiberniam  
 b applic-

Anno mu-  
di 2535.

applicuerunt, & eam vacuam inuenientes, in quinque portiones aequales inter se diuiserunt, quarum capita in lapide quodam conueniunt, apud Mediam, iuxta castrum de Kilar, qui lapis, & umbilicus Hibernie dicitur, quasi in medio et meditullio terrae positus. Vnde & Media pars illa Hiberniae vocatur, quia in medio est insulae sita. De quinque tamen partibus illis famosis, quarum nomina suprad posuimus, nulla est haec. Cum enim predicti fratres quinque, videlicet Gandius, Genandius, Gangandius, Rutheragus, & Slanius, in quinque partes insulam diuisissent, quilibet partium illarum suam in Media portiunculan habebat, lapidem præfatum contingentem, quia terra illa, a principio, optimâ fuerat, tam campestri planicie, quam fœcunda frugum fertilitate, vnde & nullus eorum quinque expers ipsius esse volebat.

## ADNOTATIONES IN CAP. X I I I.

1. Nunquam aut in annalibus legi, aut à nostris accepi, quin Media quintam Hiberniae partem efficeret. Neque memini, in quo loco, harum Giraldus mentionem facit, ut interim Mediam omittat, Lagenia, Momonia, Connacia, Ultonia, quattuor sunt insulae portiones, quintam, extra Mediam (ut quidem ego sentio) nemo reperiet. Existit autem hic quæstio subobscura, vnde Media suum habet nomen ductum? Nam ideo idcirco Mediam dici hanc partem, quod in Media insulae portione sita sit, omnino veri non est simile. Latinum est hoc nomen, at illi quinque fratres Latinè nescire. Certè in peruetustis scriptoribus ubique, pro Media, Midiam inueni scriptam: & lingua vernacula hæc insulae portio, Meth, nominatur, quod sane vocabulum nullam, cum mediæ partis significatione, affinitatem habet.

2. Nos longè aliam sententiam, vt pote communem nostrorum, & vt opinio mea fert, verisimiliorem secuti sumus libro primo. Sed hæc lectoris iudicio relinquimus.

De

## De primo Hiberniae Monarcha, scilicet Slanio.

## CAP. XV.

Processu vero temporis, fortuna variante vices, et in breui, ut adsolet, multa peruerens, Slanius solus totius Hibernia monarchiam obtinuit: unde et primus Hiberniae rex nominatur. Hic primo quinque portiunculas Mediae redintegravit, et in unum coniungens mensa regali appropriauit. Unde et a principalibus illis quinque portionibus, per Slanium, ut dictum est iam mutilatis, usque hodie segregata separatim per se Media iacet. Nec tamen quantum terrae una illarum quinque, tantum continet ista, sed solum medietatem. Cum enim a tempore Slani qualibet illarum quinque partium triginta duos cantaredos continuuerit, sexdecim tantum Media contenta fuit. Est ergo numerus cantaredorum omnium Hiberniae 176. Dicitur autem cantaredus (composito ex vulgari vocabulo, tam Britanica, quam Hibernica lingua) tanta terrae portio, quanta centum villas continere solet. Cum igitur ex his fratribus, et eorum successione, nouem successerint reges, parum tamen, et circiter annos triginta regnauerunt. Slanius vero in monte quodam, apud Medium, tumulatus est, qui ab eius nomine nomen accepit.

## ADNOTATIONES IN CAP. XV.

1. Media, nostra aetate, ab aliis quatuor partibus segregata non est: & iam ita late patet, ut duplum Medium, communibus regni comitiis, diuisam habeamus, quarum una, vetusto nomine, Media, altera Occidentalis Media dicitur. Medium non ita late diffusam fuisse, temporibus Giraldi Cambrensis, arbitror.

De quinto aduentu quattuor filiorum Milesij regis, de partibus Hispaniæ, & qualiter Herimon, & Heberus regnum inter se diuiserunt.

## C A P. XVI.

\*Alij, Hermon.

**D**eleta igitur magna ex parte,  $\textcircled{t}$  plurimum debilitata natione ista, cum variis inter se conflictibus, tum eo potius bello, quod cum alia quadam Nemedi posteritate, quæ de partibus Scythiaæ superuenerat, grani cum dispendio gesserat, demum aduenerunt de Hispanie partibus, in sexaginta narium classe, quatuor nobiles Milesij regis filij, qui  $\textcircled{e}$  statim totam insulam, nemine rebellante, sibi vendicauerunt. Procedente vero tempore, duos istorum nominatissimi, Heberus scilicet,  $\textcircled{e}$   $\dagger$  Herimon duas in partes aequales regnum inter se diuiserunt. Herimoni cessit pars australis, Hebero quidem aquilonaris.

De fratum discordia, & qualiter, imperfecto Hebero, de Hibernensi populo primus Herimon monarcha fuit.

## C A P. XVII.

**C**um autem aliquandiu prospere satis,  $\textcircled{e}$  feliciter conognassent, quoniam nulla fides regni sociis, omnisque potestas impatiens confortis erat, cœca malorum mater ambitio, fraterna paulatim disiungens fædera, omne pacis vinculum in breve dissoluit,  $\textcircled{t}$  latis se rebus immiscens discordia cuncta peruertit,  $\textcircled{e}$  perturbat. Post varios igitur fratum conflitus,  $\textcircled{e}$  ambiguos semper bellorum euentus, tandem Herimoni cessit Victoria,  $\textcircled{e}$  in bello quodam, imperfecto Hebero, fratre suo, totum regnum Herimon solus obtinuit, qui  $\textcircled{e}$  de Hibernensi populo, qui usque in hodiernum insulam habitant, primus monarcha fuit.

fuit. A nomine verò prædicti Heberi, secundum quosdam, Hibernenses nomen traxerunt: vel potius, secundum alios, ab Hiberio, Hispania fluvio, vnde prouenerant. Dicti sunt & Gaideli, dicti sunt & Scoti. Sicut enim antiquæ referunt historie, Gaidelus quidam, Phenij nepos, post linguarum confusione apud Nembroticam turrim, in variis linguis peritissimus fuerat. Ob quam peritiam rex Pharao filiam suam Scociam ei sociauit vxorem. Quoniam igitur Hibernenses ab istis, vt aiunt, originalem lineam ducunt, à Gaidelo, & Scocia, Gaideli & Scoti, sicut & nati sunt, sic & nominati. Gaidelus iste, vt aiunt, Hibernicam linguam composuit, quæ <sup>1</sup>). Gaidelach dicitur, quasi ex <sup>2</sup> omnibus linguis collecta. <sup>3</sup> Scotia quoque pars insulae Britannicae dicitur aquilonaris: quia gens originaliter ab his propagata terram illam habitare dinoſcitur. <sup>4</sup> Quod tam lingua, quam cultus, tam armorum etiam, quam morum, usque in hodiernum probat affinitas.

## ADNOTATIONES IN CAP. XVII.

1. Hibernos olim appellatos Scottos, & Hiberniā fuisse Scotiam dictam, non modo Giraldus Cambrēsis, sed alij etiam vetusti scriptores perspicuè testantur. Ut huius rei fidem faciam, à D. Patricio incipiam, qui primus Euangeliū lucem Hibernis adtulit. De eo ita vetus auctor scribit:

*Qui, iuſſione domini,  
Miſſus ad Hiberniam,  
Que plena erat idolis,  
Dura ceruice, incredula.*

*Qui tenebras idololatriæ  
scotica gentis abstulit,  
Et prædicauit hominibus  
Fidem, præclaro lumine.*

*In hym. ad  
mat.*

Scoticæ, inquit, gentis, pro, Hibernicæ gentis. De eodem ita alius: Tempore Theodosij, & † Valentini, Papa Celestinus ad Scottos in Christum <sup>\*</sup> credentes Palladium misit Episcopum. Quo defuncto ab eodem missus est ad eos S. Patricius, genere Brito, filius Conches, sororis S. Martini. Qui in baptismo quide

*In breui. ca-  
non. regul. ca-  
pit. de Sion.  
† Altas Va-  
lentiniani.  
\* Forte credia-  
turos.*

dictus est Suchat: à S. Germanio Magonius, à Celestino vero Patricius, à quo Scotorum archiepiscopus est ordinatus, per annos sexaginta, sanctitate, signis, & doctrina excellens, totam insulam Hiberniæ conuertit ad Christianum. Sanctus autem Patricius dum Scotorum regi prædicaret. Hæc ibi. Promiscuè nunc Hiberniæ, nunc Scotorum mentio fit. Cælium Sedulium, poetam nobilem, Hibernum fuisse, perspicuum est. Eius vita à Tri-

*Sixt. Senens.  
lib. 4. biblio.  
Sanct. verb.  
Cal. Sedul.  
Surius de  
Sanct. biist.  
to. 5. Oct. 16.*

Strabus, qui eius acta litteris mandauit, in præfatione sua agnoscit. At vero lib. 2. cap. 46. hæc narrat. Nuper quoque de natione Scotorum, quibus consuetudo peregrinandi iam pæne in naturam conuerfa est: quidam aduenientes, vnum è suis coniutoribus, multiplice peste possessum, in eodem monasterio dimiserunt. Qui cum aliquantis ibi moraretur diebus, & cottidie infirmitatis suæ remedium, plena fide, deposceret, nocte quadam senem sibi, per somnum, vidit assistere, gestu & habitu venerandum. Quem, quis esset, interrogans, beatissimum Gallum fuisse perdidicit; & protinus ad illum, cernis, inquit, ô domine, toto me corpore dissolutum, meritorum tuorum cottidie eudentiam præstolari. Noli ergo, quod te aliquando credo facturum, differre diutius. Ad hoc enim me reseruatum esse cognosco, ut sicut his barbaris virtus tua latissimè claret, ita etiam gentis tua hominibus meritorum tuorum fulgor innotescat, & claritas. Gentis, inquit, tuę hominibus, quos paullo ante Scotos appellat. Præterea in vita S. Kiliani martyris hæc verba reperiuntur. Beatus Kilianus, è Scotorum genere, nobilibus ortus parentibus, diuinæ gratiæ factus est nobilitate clarissimus. Scotia, que & Hibernia dicitur, insula est maris Oceanii, fœcunda quidem glebis, sed viris sanctissimis clarior: è quibus Columba progaudet Italia, Gallo ditatur Alemania, Kiliano Francia Teutonica nobilitatur. Quid clarius? Quid significantius dici potuit? In eandem sententiam scribit Ionas, in vita D. Columbani, cap. 2.

Colum-

*Sur. tom. 4.  
July 8.*

Columbanus, qui etiam Columba vocatur, in Hibernia ortus est; insula in extremo sita Oceano, spectante Titanis occasum, dum vertitur orbis, & lux occiduas ponti descendit in umbras. Insulæ huius situs, ut ferunt, amoenus est, & immunis ab armis, & bellis exterarum nationum. Eam Scotorum gens incolit: gens quanquam ceterarum gentium legibus carēs, attamen Christianæ religionis dignitate florens, ita ut omnium vicinorum gentium fidem excellat. Hæc ille. Verum obseruandum est, Ionam, & Wallafridum Strabum totos errare, qui Columbarum, & Columbam eundem esse, scribunt. Diuersi sunt, ut nostræ gentis annales liquidè confirmant. Ambo Hiberni erāt, ambo æquales. Columba florebat, dum Iustinus secundus imperij gubernacula tenebat, quo tempore in Britanniam ex Hibernia migravit, ut Bedæ placet, lib. 3. cap. 4. ubi Surius, in margine, Columbanum, pro Columba, imprimi curauit, in quo, ut ceteri, lapsus est. Columbanus imperante Mauritio vixit, in Italia è vita excessit, circa annum humanæ salutis 615. aut, ut Sixtus Senensis affirmat, anno 598. nono Calend. Decembris. Columba verò humatus est, non procul ab Albania, in insula, quæ vulgo Colmkilia nominatur, ut auctor est Beda. Verum Hiberni confirmat Columbam in Dunensi ciuitate sepultum esse, cuius rei testes sunt verusti versiculi.

*Hi tres in Duno, tumulo tumulantur in uno,  
Brigida, Patricius, atque Columba pius.*

Quoniam verò in Columbae mentionem incidiimus, quid in eius vita pro hac sententia facit, appingere libet. S. Columba prædicens interitum cuiusdam impij, sceleratiq[ue] plani, hæc verba facit. Et conuersus ad fratres ait, Hic homo filius est perditionis, qui, quam promisit poenitentiam, non explebit, sed mox ad Scotiam reuersus, ab inimicis percussus, peribit. Factumque est ita. Nam ad Hiberniam regressus, ille miser in manus inimicorum incidens trucidatur. Ibi Scotiam, h[ic] Hiberniam nominavit. Idem auctor, in vita Columbani, in totius caussæ arcem inuadere videtur. Eius verba hæc sunt. Beatus Columbanus in Hibernia, insula in Oceano sita, quam Scotorum gens inhabitat, ortus est. Hibernia enim antiquitus Scotia

*Suri. tom. 6.  
Nonemb. 21.*

*In Vit. S.  
Gall. lib. 1.  
cap. 1.  
Habetur a-  
pud Sur. 10.  
5. Octob. 16.*

*Surius to. 4  
in vita Of-  
fwald. Au-  
gust. 5.  
Sixt. Sen. lib.  
4. biblioth. 5.  
Verbo Co-  
lumb.  
Beda lib. 3.  
Angl. hist.  
cap. 4.*

*In legend.  
neu. Angl.*

*dicta.*

dicta est, de qua gens Scotorum Albaniam, Britanniæ maiori proximam, quæ ab euentu modò Scotia dicitur, inhabitans, originem duxit, & progressum habuit. Idem, in vita D. Columbae, suam narrationem his verbis terminauit. Est autem sciendum, quod Hibernia propriè Scotorum est patria: antiquitus igitur Scotia, pro Hibernia, saepius scribi solet, sicut hic in vita S. Columbae diligenter intuentibus appetat: & etiam Venerabilis Beda, de gestis Anglorum, multis in locis Hiberniam exprimere volens, Scotiam scripsit. Hæc ille. Ita testatur Beda lib. i. Angli. hist. ca. 1. lib. 2. cap. 4. li. 3. ca. 4. & ca. 27. Hæc ego nō tanta ambitione colligeré, nisi nonnulli ab hac sententia dissentirent: qui tamen Scotos ab Hibernis ortos concedunt, quia rem luce meridiana clariorem pernegare nullo modò possunt. At verò Scotos non modò ortum, sed etiam nomen ab Hibernis hausisse, veteres historici una assentio[n]e confirmant.

2. An ea vox istam significationem præ se ferat, prorsus ignoro. Illud Hibernicæ linguae peritis discutiendum relinquo: à quibus saepius accepi, istam locutionem, ab omni alia, per pauca mutuare, magnam tamen cum Hebraica lingua affinitatem habere.

3. Istud idem affirmat Giraldus infrà cap. 19. Et Beda lib. i. cap. 1. Hæc autem (Hibernia) propriè patria Scotorum est. Ab hac egressi, ut diximus, tertiam, in Britannia, Britonibus & Pictis gentem addiderunt.

4. Id verum esse, nostra ætas testatur. Etenim ea lingua, qua nunc Scotti urbani vtuntur, non Scotica est, sed Anglicæ. Agrestes verò Scotti, tantum Hibernicæ sciunt. Id ita olim fuisse confirmat Beda: Hæc, inquit, in præsenti, iuxta numerum librorum, quibus lex diuina scripta est, quinque gentium linguis, vnam eandemque summæ veritatis, & veræ sublimitatis scientiam scrutatur, & confitetur, Anglorum videlicet, Britonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione scripturarum, ceteris omnibus est facta communis.

Beda lib. i.  
histor. An-  
gli. cap. 1.

De

De Gurguntio, Britonum rege, qui Balclenses in Hiberniam transiit, & candem ipsis inhabitandam concessit. C A P. XVIII.

**S**icut Britannica refert historia, rex Britonum, Gurguntius, nobilis illius Bellini filius, & Brennij famosissimi nepos, rediens à Dacia, quam olim à patre suo subactam, & sibi iam rebellem iterum subiugauerat, apud insulas Orchadum classem inuenit, quæ Balclenses de Hispaniarum partibus illuc aduectauerat. Cum ergo duces eorum ad regem accessissent, & unde huc aduenerint, caussamque aduentus, ut aliquam scilicet terram, in occidentis partibus, inhabitarent, ei proposuerint: cum etiam summo opere iam flagitassent, ut aliquam terram eis inhabitandam concederet: rex tandem, de suorum consilio, insulam istam, quæ nunc Hibernia vocatur, & quæ tunc vel vacua prorsus fuerat, vel per ipsum inhabitata, eis inhabitandam concessit. De suis etiam nauigationis duces ipsis adhibuit. Ex quo patet, non nullo iure, licet antiquo, Britannæ reges Hiberniam contingere. Legitur quoque, famosum illum Britonum regem, Arturum Hibernæ reges tributarios habuisse, & ad magnam etiam vrbis Legionum curiam quosdam eorum accessisse. 2

## ADNOTATIONES IN CAP. XVIII.

1. Locus, unde isti Hispani venerunt, vulgo Baion dicitur.
2. Hæc vrbis lingua Britannica, Caër Pleon, Anglice West-chestria nominatur.

Quot reges ab Herimone usque ad patricij aduentum regnauerunt. Et quod insula per ipsum ad fidem est conuersa. C A P. XIX.

**P**rimo igitur gentis huins rege, scilicet Herimone, usque ad Patricij aduentum 131. reges de eadem gente in Hibernia regnauerunt. Patricius vero, natione Britannus, vir vita & sanctitate

sanc*t*itate conspicuus, regnante Laegirio, Nelli magni filio, insula intravit, & gentem inueniens idololatram, varioque errore delusam, primus in ea, diuina opitulante gratia, fidem Christianam & prædicauit, & plantauit. Baptizatis itaque cateruatum populis, & tota iam insula ad fidem Christi conuersa, apud Armaciam sibi sedem elegit, quam etiam quasi metropolim, constituit, & primum totius Hibernæ primariæ locum. Episcopos quoque congruis in locis collocauit, ut in partem vocati sollicitudinis, quod ipse plantauerat, & ipsi rigarent, Dominus autem incrementum daret. Hic quoque notandum videtur, prædicto Nello Hibernæ monarchiam obtinente, sex filios Muredi regis Ultoniæ, in classe non modica, boreales Britannæ partes occupasse; unde & gens ab his propagata, & specificato vocabulo<sup>2</sup> Scotica vocata, usque in hodiernum,<sup>3</sup> angulum illum inhabitat. Sed quibus ex causis hic aduenierint, qualiterque, & quantis<sup>4</sup> proditionibus potius, quam expeditionibus Pictorum gentem perualidam, armis quoque & ammisitate longè præstantem, à partibus illis expulerint, cum notabilem illam Britannæ topographiam declarabimus, enucleatim expedietur.

## ADNOTATIONES IN CAP. XIX.

1. Forte legendum, à primo igitur gentis huīus rege.
2. Exsistit, hoc in loco, quæstio subdifficilis, an ob Muredi, regis Ultoniæ, filiorum in Albaniam aduentum, Aquilonaris Britannæ pars tum Scotia dici cœpta sit? Illud enim hoc in capite Giraldus Cambrensis indicare atque innuere videtur. Hæc autem incursio in Albaniam, paullò ante Patricij aduentum, facta fuit, Vixit Patricius Celestino primo pontificium munus sustinente, à quo ad Hibernos missus est. D. tamet Hieronymus, qui Patricium ætate antecessit, Albanensium Scotorum mentionem, ut mihi quidem videtur, facit. Neque Britannia, inquit, fertilis prouincia tyrannorum, & Scoticæ gentes, omnesque usque ad Oceanum, per circuitum barbaræ nationes Moysen prophetasque cognoverunt. Hæc ille. Nonnulli libri legunt

legunt, Stoicæ gentes, sed mendosissimè. Hoc loco D. Hieronymus Britanniā à Scotica gente separat. Albania, quæ nostra ætate, Scotia dicitur, est Britanniæ pars, non itaque improbabile est, Hiberniam hīc significari. Cūm verò addat, Omnesque, vñque ad Oceanum, per circuitum barbaræ nationes, satis credibiliter asserere quis poterit, Hiberniā in ista clausula potius, quam in prima cōtineri. Aliud tamen eiusdem auctoris testimonium superioribus verbis lucem videtur adferre. Scotum, qui eius scripta, inuidia quadam & obtrectatione, reprehendit, ita descripsit. Habet progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia. Non de Britanniae vicinia, sed Britannorum dixit. *Quod totum non modò ad Hibernos Scottos, sed ad Albanenses etiam satis appositè accommodari potest.* Non sum autem nescius, Britanniae significatione ipsam Hiberniam à quibusdam vetustis scriptoribus fuisse comprehensam, ut testis est Plinius. Sed *ut ad D. Hieronymum reuertamur, alibi in eundem calumniam inuehitur, qui locus etiam corruptè imprimitur.* Non recordatur stolidissimus, & Scotorum pulibus prægratiatus. Vbi libri impressi habent, & scortorum: sed falsò, quemadmodum, & alibi eodem errore librarij capiuntur. Audiant, inquit D. Hieronymus, ethnici messes ecclesiæ, de quibus cottidie horrea nostra complentur, audiant catechumini, qui sunt fidei candidati, ne vxores ducent ante baptismum, ne honesta ducant matrimonia. Sed Scotorum, & asotorum ritu, ac de repub. Platonis promiscuas vxores, communes liberos habeant. Vbi impressi libri habent, scortorum & asotorum ritu: imis mendosè. Nullū enim sermonē hīc instituit Hieronymus de promiscuis viris, sed de promiscuis tantū vxoribus. Qui verò scorta, cum sint meretrices, plures vxores habere possunt? Imò satis dilucidè, cum aperta Scotorum Albanensium distinctione, horum verborum sensa expressit alio loco D. Hieronymus. Quid loquar de ceteris nationibus, cūm ipse adolescentulus, in Gallia, viderim Scottos, gentem Britannicam, humanis vesci carnis bus. & paullo pōst. Scotorum natio vxores proprias non habet, & quasi Platonis politiam legerit, & Caronis sectetur exemplum, nulla apud eos coniunx propria, sed ut cuique libitum fuerit,

*Hieronymus in  
proœm. in 3.  
Comment.  
Hier. tom. 4.*

*Plinius lib. 4.  
natural. hist.  
cap. 16.  
In proœm. in  
prim. Com-  
ment. Hiero.  
tom. 4.*

*Epist. 83. ad  
Ocea. tom. 2.*

*Lib. 2. aduers.  
Ioni. cap. 6.  
tom. 2.*

fuerit, pecudum more, lasciuiunt. Scotos, inquit, gentem Britannicam, quo additamento, Scotos Albanenses satis distincte ac enucleatè expressit. Verum D. Hieronymus (quod pace talis, & tanti viri dixerim) totus in vxorum multitudine errat. Quod in veteribus & priscis annalibus perspicuè cernitur: quibus citius est credendum, quam vanis rumoribus, quos homines longinqui nimis citè colligere consuescant. Illi quidem historiarum, ac geographiæ auctores facillimè labuntur, qui nimis celeriter credunt, de exterarum gentium institutis, in quibus nullam inspectionem habent. Hoc ex nauta aliquo, qui vix maritimas eius regionis oras præteriens adspexit, accipiunt; illud à vectore, ad nullam rem idoneo, arripiunt; istud à mercatore, non gentis ritibus, sed domesticis pactis dedito, discunt. Atque his nugis collectis & coaceruatis, libros suos edunt, in quibus cum alienæ nationis incolas mendaciis onerant, quid aliud præstant, quam ut priuato otio, & aliorum fortassis negotio intemperanter abutantur. Neque hæc ita accipivelim, perinde ac si D. Hierony. cuius honorificentissimam mentionem semper à me fieri volo, falsitatis, aut inanitatis insimulem. Sed quemadmodum vanitas ineptis & ventosis homuncionibus plerumq. errorem obiicit, ita simplex & columbina illa euangelij facilitas sanctos ac religiosos viros interdum credulos efficit. Nam ut quisque est cultor veritatis studiosissimus, ita alios esse mendaces tardissimè suspicatur. Scitè profectò D. Augustinus, plurimique, inquit, in his nostra credulitas fallitur, quia nonnumquam & historia, & multò magis fama mentitur. Quare D. Hieronymum, ut par est, suspicio, rumorem, qui religiosas ac apertas optimi & probatissimi virtu aures, inani sonitu, compleuit, damno: & cur damnem, sic doceo. Scotti Albanenses, eisdem moribus, quibus & Hiberni, imbuti fuerunt. Hoc cum alij, tum noster Giraldus suprà cap. 17. docuit: & verè. Loci enim, non ingenij mutatio est facta. At Hibernos distinctas uxores longè ante D. Hieronymum natum, habuisse, grauis & sincerus auctor Beda his verbis testatur. Ad hanc ergo (Hiberniam) usque peruenientes nauigio Piæti (ut diximus) petierunt in ea sibi quoque sedes, & habitationem donari. Responde-

*Traff. 90. in  
Ichan. refer-  
tur à Beda.  
3. Corint. 4.*

*Beda lib. 1.  
Ecclesi. Hist.  
cap. 1.*

runt

runt Scotti, quòd non ambos eos caperet insula: sed possumus, inquiunt, salubre vobis dare consilium, quid agere valeatis. Nouimus, insulam aliam esse, non procul à nostra, contra ortū Solis, quam sèpè lucidioribus diebus de longè adspicere sollemus. Hanc adire si vultis, habitabilem vobis facere valeatis: vel si qui restiterint, nobis auxiliarii vtimini. Itaque petentes Britanniam Picti habitare per septentrionales insulæ partes cœperunt. Nam austrina Britones occupauerant. Cumque uxores picti non habentes peterent à Scottis, ea solùm conditione dare consenserunt, vt vbi res veniret in dubium, magis de fæminea regum prosapia, quam de masculina regem sibi eligeret: quod usque hodie apud Pictos constat esse seruatum. Hæc Beda. Iam verò, quid sodes caussæ æquus rerum æstimator censeret esse, cur Scotti tam prouidi formularum cautores existarent, si mutuis vxoribus, ac potius scortis (nam foedam libidinem honesto nomine tegere, & velare non audeo) promiscuè vti confuerint. Quem enim curialem, quem gentilem, quem auunculum, quem nepotem, quem auum, quem abauum, quam sororem, quam priuignam, quam materteram, quam neptem mihi profers, vbi nemo legitimis vtitur nuptiis, nullus certos aut cognoscit, aut agnoscit liberos? Aut quæ hereditaria regni successio sollicitum cuiusque animum habeat, qui certas paterni, maternique sanguinis propagines non inspicit? Præterea Solinus, qui Hibernicam gentē satis ignominiosè peruellit, certa connubia commemorat. Puerpera, inquit, si quando marem edidit, primos cibos gladio imponit mariti, inque os paruuli, summo mucrone, auspicio alimentorum leuiter infert. Mariti, inquit, non maritorum. Sed ad ipsa D. Hieronymi tempora accedamus, quæ etiam pro Scottis contra hæc figmenta manifestè faciunt. S. Patricius, qui Scottis, hoc est, vt idem sèpè iteremus, Hibernis, Christianæ fidei lucem tendebat, D. Hieronymi ætati suppar erat: quod ex notatione temporum perspicuè elicio. Nam D. Hieronymus, Honorio imperatore, in cœlitū concilium coetumq. migrauit. Patricius ad Hiberniā profectus est, Theodosio secundo & Valentiniano tertio imperatoribus, cù quattuor & sexaginta

Solin. cap. 25.

annos confecisset. Qualis autem vulgaris Scotorum Hiberniensium, & Albanensium (nam ut utrique sanguine & vicinitate, ita moribus finitimi erant) consuetudo, viuo Hieronymo, fuit, talis sine controvërsia eo non ita pridem mortuo permanxit, ac etiam permanceret, si non eorum mentes Evangelij radiis numen illustrasset. His positis & stabilitis, quæ posita & stabilita esse debent, videamus an Patricius istam luxuriam, in usu fuisse cotidiano collocatam, in Hibernia, animaduerterit. In eius vita hunc euentum, parum Latinè, sed admodum aptè ad rem, quam in manibus habemus, vetus scriptor narrat. Erat quidam magus, qui grauiter resistebat Deo, cuius obstinaciam videns Sanctus, ait ad Dominum. Domine, qui omnia potes, hic impius blasphemat nomen tuum, eleua illum foras, & citò moriatur. His dictis, eleuatus est magus in aëre, & iterum demissus de superis cum globo niuis, verso capite, ad lapidem comminutus, & mortuus est. Tunc rex iratus surrexit, cum suo exercitu, ut Sanctum occideret, & statim tetræmotus factus est magnus, & tonitus, & ignis, & ventus vehemens, & ceciderunt ex eis multi, ceterisque huc illucque fugientibus, remansit rex, cum quattuor viris, latens in quodam loco, cum magno timore. Venit autem regina ad Patricium & dixit ei: Homo iuste, & potens, ne perdas regem, veniet enim, & genua flectet, & adorabit Dominum tuum. Hæc ille. Reginam conciliatricem inducit, numinis præconem, pro mariti sui salute, blandè, & concinnè deprecantem. Quæ certè regina appellanda non erat, quæ multiplex cubile usurpabat, quæ vna nocte propter principem, altera simul cum principis bubulco cubitabat. Sed manifestiora videamus. Perrexit, inquit scriptor, Patricius ad regem Milach, cum quo in seruitute fuerat, ut eum ad fidem conuerteret. Quod ille audiens, congregauit omnem substantiam suam, & succendit eam super se, illicque combustus est: magis mortem eligens, quam ut seruo suo quasi subiectus permaneret. Patricius vero, de monte propinquo, hoc intuens, duabus horis suspirans & lacrymans ait, Hic rex, quia seipsum igni tradidit, ne Deo æterno seruiret, nemo sedebit de filii eius rex

*In eius vita  
in vetustis  
manuscriptis  
lib. & in le-  
gend. nou.  
Angl.*

rex super sedem regni eius, sed semen eius seruiet in sempiternum. Quorsum hæc spectat minax vaticinatio? Quem ad finem regis filios extirpandos diuinat? Reperta est inter Scotos consuetudo, summo dedecore libidinis ac turpitudinis contaminata, quæ Christi nuntium hoc oraculo liberet. Sunt Platonicae recipub. ciues. Certas non habent fæminas, quæ maritis nubunt: mulieres promiscuè & cōmuniter se omnibus peruulgant. Sed in causa maximè aperta testimonia profero minime necessaria. In eo verò quod scribit D. Hieronymus, se in Gallia vidisse Scotos, gentem Britannicam, humanis carnibus vesci, non fas esse duco, viro spectatissimo, atque integerrimo fidem non attribuere. Ast per mihi mirum videtur, tam fœdum facinus, adspectuque terrible, non modò contra communem hominum consuetudinem, sed etiam contra rerum naturam perpetratum, in Gallia toleratum fuisse. Certè ipsa Scotia tali lupinæ feritati impunitatem non dabat. Nam cum circa annum salutis 1480. spurcissimus latro ac heluo, in quodam latibulo se occultans, humanis carnibus, bestiarum more, vitam propagasset, comprehensus à lictoribus, viuus cum suis domesticis (omnes enim eodem scelere obstricti erant) ambustus est. Sed quoquo modò se res habuit, paucorum crimina in vniuersam gentem non sunt deriuanda. Quamquam enim Virgilianus ille Æneas crimine ab uno omnes discendos iubet, tamen talis iniqua lex à Christianis antiquari debet.

3 Albania est satis ampla Britanniæ portio, non angulus, sicut Giraldus, quadam cōtemtione ac despiciencia cōmotus, scribit.

4 Miror, vnde istæ prodiciones effluxerint? Certè Scotti, armis viribusque, cum Pictis semper erant conferendi. aliter de his Beda: Procedente autem, inquit, tempore, Britannia, post Britones & Pictos, tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit. Qui, duce Reuda, de Hibernia egressi, vel amicitia, vel ferro, sibi met inter eos sedes, quas hactenus habent, vendicarunt. A quo videlicet duce usque hodie Dalrendini vocantur: nam lingua eorum dal partem significat.

5 Liber iste, si talis exstet, numquain ad manus meas peruenit.

Quod

*Beda lib. 1.  
Eccles. hist. cap. 1.*

Quod Archiepiscopi nulli in Hibernia fuerunt, ante aduentum Iohannis Papironis, qui quattuor pallia in Hibernia plantauit. C A P . X X .

1      **A**chiepiscopi vero in Hibernia nulli fuerant, sed tantum  
2      se Episcopi inuicem<sup>2</sup> consecrabant, donec Iohannes<sup>3</sup> Papiro,  
1148. Romanæ sedis legatus non multis retro annis aduenit. Hic  
4      quattuor<sup>4</sup> pallia in Hiberniam portauit, quorum vnum apud  
Armachiam posuit, alterum apud Dublinium, tertium apud Cas-  
siliam, quartum apud Tuemiam, in Connactia. Obiit autem  
beatus Patricius, & in Domino quieuit, anno etatis sue 120.  
ab incarnatione vero Domini 458. ab aduentu Hibernien-  
sum 1800.

## ADNOTATIONES IN CAP. XX.

1 Hinc apparet, D. Patricium Archiepiscopum non fuisse,  
quidquid alij scribant, sed solum Episcopum Armachanum.  
Gelasius primus erat Armachie Archiepiscopus.

2 Non semper se inuicem consecrabant, nam quandoque  
illud munus antistes Cantuariensis suscepit, quemadmodum  
Philippus Flattesburius, vir industrius, & antiquitatis summe  
studiosus bene adnotauit. Verba eius hæc sunt. Anno Domini  
1074. ad regimen Dubliniensis ecclesiae Lanfrancus Archiepi-  
scopus Cantuariæ, petente Goderico rege, Dubliniensis eccle-  
siæ populo & clero consentientibus, & eligentibus, in ecclesia  
S. Pauli Londini, Patricium sacrauit antistitem: accepta prius  
ab ipso examinato professione, de sua obedientia, more ante-  
cessorum suorum, sibi suisque successoribus exhibenda: sacra-  
tumque in patriam, vnde venerat, remisit, dans ei litteras feren-  
tas Goderico regulo, & Terdilnaco, maximo regi Hiberniarum.  
Haec tenus Philippus. Idem etiam Lanfrancus hoc ipsum præ-  
stítit, Anno 1085. Donatum antistitem Dublinensem con-  
secrando.

3 Magis distinctè totum hoc negotium Philippus Flattesbu-  
rius expressit. Anno, inquit, Domini, 1148. Iohannes Papiron  
presbyter cardinalis, à B. Eugenio papa missus cum Christiano,  
Lismo-

Lismoriensi Episcopo, totius Hiberniae legato, in Hiberniam venit. Anno Domini 1152. Christianus, Episcopus Lismoriensis, totius Hiberniae legatus cōcilium celeberrimum celebrauit; cui concilio interfuerunt, Episcopi, Abbates, Reges, Duces, & maiores natu Hiberniæ. In quo auctoritate apostolica, & concilio Cardinaliū, consensu Episcoporum, Abbatum, & aliorum ibidem consistentium, quattuor archiepiscopatus in Hibernia constituit: videlicet, Armachanum, Dublinensem, Cassiliensem, Tuemensem, in quibus præsidebat tunc Gelacius, Gregorius, Donatus, & Edanus. Hæc Flattesburius.

4 Siluester, in summa, quid pallium sit, explicat. Pallium, inquit, siue ut aliis placet, Palleum, in proposito, est orname-  
ntum ad modum stolæ sacerdotalis, crucibus nigris intextum,  
super alia ornamenta delatum, humeros, ad instar coronæ, pe-  
ctusque circumdans, antè dependens, significans plenitudinem  
Pontificalis officij.

*Summa Sil-  
vestrina ver-  
bi pallium.*

Quot reges à tempore Patricij usque ad Turgesij  
aduentum regnauerunt. C A P. X X I.

D E gente igitur ista ab aduentu Patricij usque ad Fedlimidi regis tempora 33. reges per 400. annos in Hibernia re-  
gnauerunt: quorum diebus fides Christiana hic illibata per-  
mansit, & inconcussa.

Quod tempore Fedlimidi regis, Norvagienses Turge-  
sio duce, Hiberniam expugnauerunt.

C A P. X X I I.

I N huius verò Fedlimidi regis tempore, Norvagienses, in  
magna classe, Hibernica litora appulerunt: qui & in manu  
forti terrā occupantes, & gentili furore debacchantes, ecclesias  
ferè omnes destruxerunt. Horum autem dux, Turgesius voca-  
tus, multis variisque conflictibus, & bellis atrocibus totam sibi  
insulam in brevi subiugavit, & per agratis totius regni finibus,  
totam vndeique terram, locis idoneis, incastellavit. Unde &  
fossata infinita, alta nimis, rotunda quoque, & pleraque tripli-  
cia;

cia; castella etiam murata, & adhuc integra, vacua tamen tamen  
deserta. Ex reliquis illis, & antiquitatis vestigiis hic, usque  
in hodiernum diem, multa reperies. Hibernicus enim populus  
castella non curat. Silvis namque pro castris, paludibus uti-  
tur pro fossatis. Turgesius itaque regnum Hibernicum aliquan-  
diu pacifice rexit, donec puellarum dolo delusus interiit.

## ADNOTATIONES IN CAP. XXII.

I Hoc longè secus est nostris temporibus. Nam Hiberni in  
castellis magnam salutis suæ spem collocant, ut fusè libro pri-  
mo explicauimus.

Quòd Angli Gurmundum, Hibernici Turgesium Hi-  
berniam dicunt subiugasse. CAP. XXIII.

Ceterum hoc mihi mirandum videtur, quòd noster Anglo-  
rum populus Gurmundum clamat Hiberniam subiugasse,  
& tam castra prædicta, quam fossata struxisse, de Turgesio  
nullam penitus faciens mentionem. Hibernenses vero & eo-  
rum historia scriptæ Turgesium prædicant. Gurmundum autem  
prorsus ignorant. Unde & quidam, semel à Gurmundo, &  
iterum à Turgesio insulam dicunt subiugatam. Sed hi Hiber-  
nici historiæ aduersantur: que tantum semel, ante haec nostra  
tempora, & tunc à Turgesio gentem Hibernicam testantur ex-  
pugnatam. Alij vero eundem fuisse afferunt, sed binominem,  
& quem nos Gurmundum, Hibernenses Turgesium vocare.  
Sed hoc etiam dissimiles eorum obitus, & finis diuersus stare  
non permittunt. Verior igitur, & verisimilior habet historia,  
quòd Gurmundo, in Britannia regno, quod sibi subiugauerat,  
iam in sceptris agente, Turgesium istum, cum electa iuuentute,  
in hanc insulam expugnandam, in classis suæ non modica parte,  
transmisit. Qui Turgesius, quoniam & expeditionis huius  
tribunus fuerat, & terra subacta diu sub Gurmundo, quasi re-  
gni rector

gni rector & senescallus permanxit. Gens Hibernica eius solius, quem presentialiter & vidit, & nouit, & à quo tanta mala sustinuit, tam nomen, quam famam perpetua memorie commendauit.

## AD NOTATIONES IN CAP. XXIII.

I Dum Giraldus aliorum errorem coarguit, maiorem imprudens creat. Turgesium Gurmundi vicarium in Hibernia ponit. Quod nullo modo prouersus fieri potuisse, sic confirmo. D. Patricius è vita abiit anno salutis 480. suprà cap. 20. Iam verò ab eius tempore, vsq. ad Turgesij aduentum regnauerunt in Hibernia 30. reges, quorum imperia 400. annos sunt continuata: suprà cap. 21. Quibus computatis, relinquitur Turgesium vixisse anno salutis, 880. At Gurmundus (vt testis est ipse Giraldus infrà cap. 24.) contra Cerecticum, vel vt alij volunt Careticum, Britannorum regem armatulit. Regnauit Careticus anno 586. vt Britannicæ historiæ una consensione testantur. Quare Turgesium habere tribunum aut proregem non potuit Gurmundus, nisi ab inferis fuerit reuocatus. Certè sunt, qui in dubium vocant, an vnquam Gurmundus in Britannia pedem posuerit, quoniam nulla eius mentio à Beda, aut aliis integerimis historicis, est facta. Exstat Dublinij porta, ad occidentem sita, quæ porta Gurundi nominatur. Ab hoc Gurmando sumtum esse nomen non est credibile, quia post eius tempora, Dublinium ab Amellano fundatum fuit, vt cap. 28. dicitur: si rectè Giraldus tempora notauit.

## Vnde in Hiberniam, vel Britanniam Gurmundus aduenerit. CAP. XXIIII.

IN Britannica legitur historia, Gurmundum ab Africa in Hiberniam adiectum, & inde in Britanniam à Saxonibus assitum Cirestrialm obsidione cinxisse. Qua tamen capta, et passum, vt fertur, malificia igne succensa, ignobili quoque tunc Britonum rege Cerecticio in Cambriam expulso, totius regni dominium in breui obtinuisse. Siue ergo Africanus, seu, quod ve-

*rins esse videtur, Norvagiensis fuit, vel relicto ibidem Turgesio, modici temporis in ea moram fecit.*

*Qualiter intersecto in Gallia Gurmundo, Turgesius in Hibernia, dolo puellarum delusus, occubuit.*

## C A P. XXV.

**G**urmundo itaque in Galliarum partibus intersecto, & barbarorum iugo à Britannicis collis ea occasione depulso, gens Hibernica ad consuetas artis iniquae decipulas, non ineffaci molimine, statim recurrit. Cum igitur ea tempestate filiam regis Medensis scilicet Omachlachlini Turgesius adamasset, rex ille virus sub pectore versans filiam suam ipsi concedens, ad insulam quandam Mediae (in stagno scilicet Locherino) illam cum quindecim puellis egregiis etiam, missurum se spondit. Quibus & Turgesius gauius, cum totidem nobilioribus gentis suis, statuto die & loco, obuiam venit. Et inueniens in insula quindecim adolescentes imberbes, animosos, & ad hoc electos, sub habitu puellarri dolum palliantes, cultellis, quos occulte secum adulterant, statim inter ipsos amplexus Turgesius cū suis occubuit.

## ADNOTATIONES IN C A P. XXV.

I Nimis est in scribendo mordax Giraldus, cùm facinus, omnibus laudibus celebrandum, parum consideratè reprehendat. Num iniquum esse existimabimus, barbarum sicarium, ex omnibus vitiis conglutinatum, qui bellum non tam Hibernis, quam Christianæ religioni indixit, qui omnia passim delubra funditus eradicauit, qui tot annos intollerandam tyrannidem occupauit, qui adolescenti virginī stuprum inferre decreuit, imò qui ipsum patrem, aduersante & repugnante natura, ad filiolę pudicitiam expugnandam, tamquam ganeoneim, ex lustrorum fuligine nuper emersum, sollicitauit, aut armatum, aut inermem, aut dormientem, aut vigilantem è medio tollere? Dolus, an virtus, quis in tali hoste requirat? Tale quiddam perpetratum fuisse, temporibus Alexandri, Amintæ, regis Macedonum filij, auctor est Carion. lib. 3.

De

De Norwagiensibus, qui circiter annos 30. regnauerunt, ab Hibernia expulsis. C A P. XXVI.

Fama igitur, pernicibus aliis, totam statim insulam peruolante, & rei euentum, ut adsolet, diuulgante, Norvagienses ubique truncantur, & in breui omnes omnino, seu vi, seu dolo, vel morti traduntur, vel iterum Norvagiam, & insulas, unde venerant, nauigio adire compelluntur.

De Medensis regis quæstione dolosa.

C A P. XXVII.

**Q**uæsuerat autem à Turgesio prædictus Medensis rex, & in dolo nequitia iam animo concepta, quonam tenore, vel arte, aues quedam in regnum nuper aduentæ, terræ patriæque pestiferæ, destruci possent, & deleri? Cumque responsum accepisset, midos eorum ubique destruendos, si iam forte midicassent, de castellis Norvagiensem hoc interpretantes, mortuo Turgesio, in eorum destructione, per totam Hibernenses insulam unanimitate insurrexerunt: Amos igitur circiter triginta, Norvagiensem pompa, & Turgesij tyrannis in Hibernia perdurauit: & deinde gens Hibernica, seruitute depulsa, & priſtinam libertatem recuperauit, & ad regni tabernacula denuò successit.

De Oostmannorum aduentu.

C A P. XXVIII.

**N**on multo verò post tempore iterum de Norvagia, & insularum borealium partibus, quasi de reliquis gentis prioris, & quia vel oculata fide, vel parentum relatione, terram optimam nouerant, non in bellica classe, sed sub pacis obtentu, & quasi mercaturæ exercenda prætextu, in insulam quidam aduenierunt: qui & maritos Hiberniae portus statim occupantes, tandem de assensi principum terræ ciuitates in ipsis varias con-

struxerunt. Quoniam enim innatae otiositatis vicio gens Hibernica nec maria lustrare, nec mercaturae indulgere aliquatenus voluerat, de communi totius regni consilio perutile videbatur, ut gens aliqua, cuius opera aliarum regionum commercia, quibus haec terra caruerat, huc aduehi possent, in aliquibus regni partibus admitteretur. Fuerunt autem duces istorum tres fratres Amelanus scilicet, Sitaracus, & Iuorus. Construetis itaque primo ciuitatibus tribus, Dublinio, Waterfordia, Limmerico, Dublinij principatus cessit Amelano, Waterfordia Sitaraco, Limmerici Iuoro: & ex his paulatim ad alias Hiberniae ciuitates construendas, processu temporis, sunt deriuati. Gens igitur haec, quæ nunc Oostmannica gens vocatur, in primis terræ istius regibus satis tractabiles fuerant & pacifici. Sed ex quo immensa generis numerositate iam excreuerant, & ciuitates fossatis & muris optimè cinxerant, antiquas inimicitias, alta mente repositas non nunquam renouare, & acriter rebellare solebant. Dicti sunt autem Oostmanni lingua ipsorum corrupta quadam Saxonica, quasi orientales homines. Respectu namque terræ istius, ab orientalibus hic partibus undecumque aduecti sunt. Ex his igitur, & priorum Norvagiensium aduentu, de quibus parum securi fuerant, usum securium contraxerunt.

Quot reges in Hibernia regnauerunt, ab obitu Turgesij, vsque ad ultimum Hiberniae monarcham,  
Rothericum. C A P . X X I X .

**I**gitur à tempore Fedlimidij regis, & obitu Turgesij vsque Rotherici Connactici regnum, qui ultimus de hac gente monarcha fuit, & vsque hodie Connactie praesidet, cuius & tempore, & per quem rex Lagenia, Dermicus, scilicet Murchardi filius à regno expulsus fuerat, decem & septem reges in Hibernia regnauerunt.

Quot

Quot reges fuerunt à primo Herimone, vsque ad hunc vltimum Rothericum.

## C A P. XXX.

**E**ST autem numerus omnium regum, qui à primo gentis huius rege Herimone, vsque ad hunc vltimum Rothericum, Hiberniam rexerunt 181. quorum nomina, gesta, & tempora hic prætereo: tu quia paucā in his insignia, & memoratu digna reperio, tum etiam ne compendium nostrum inutilis prolixitas impeditret. Prædicti verò reges non alicuius coronationis sollennitate, nec inunctionis sacramento, nec etiam iure hæreditario, vel aliqua successionis proprietate, sed vi tantum, & armis totius insulae monarchiam obtinuerunt, & suo more regni gubernacula suscepserunt.

## ADNOTATIONES IN C A P. XXX.

1 Latius hīc accipienda est significatio sacramenti, quām in Theologorum scholis. Nam vulgata illa regum vncio non est propriè sacramentum.

2 Id verū esse, mihi non persuadeo: imò priscis temporibus, de hæreditaria regni successione mirificè solliciti erant: vt auctor est Beda, lib. 1. cap. 1. hist. Eccles. cuius verba suprà posuimus cap. 19. Adnota: 2. Complures autem armis ac viribus regnum occupasse, non dubito. Quod non modò in Hibernia, sed etiam in aliis orbis terrarum partibus sæpiùs accidisse, quis pernegabit?

Quod à primo aduentu suo vsque ad Turgesium, & ab obitu Turgesij vsque ad Anglorum regem, Henricum Secundum gens Hibernica manerat inconclusa. C A P. XXXI.

**G**ENS igitur Hibernica à primo aduentus sui tempore, & à primi illius Herimonis regno vsque ad Gurmundi, & Turgesij tempora (quibus & turbata quies, & interrupta aliquando

<sup>2</sup> quandiu fuit eius tranquillitas) iterumque ab eorum obitu usque ad haec nostra tempora ab omni alienarum gentium incursu libera mansit, & inconcussa: donec per vos, rex inuictissime, & vestrae animositatis & audacia, his denuo nostris diebus, est subiugata. Anno videlicet etatis vestre 41. regni vestri, 17. ab incarnatione vero 1172.

<sup>+ Forte an-</sup>  
diciam.

## AD NOTATIONES IN CAP. XXXI.

1 Gurmundum & Turgesium non fuisse æquales, suprà demonstavi: Adnotat. in cap. 23.

2 Angliæ regem Henticum secundum, alloquitur, cui libellum suum consecravit.

F I N I S.

## INDEX RERUM

ALPHABETICVS IN LIBROS  
RICHARDI STANIHVRSTI DE REBUS  
Hibernicis, & Giraldi Cambrensis Appendicem.

<b>A</b> Dagium Hibernicum.	42		45. vis in curatione.	46
Adami Herefordiensis virtus.	146		Calus, sannio facetus.	173
AEdificia Hibernica.	32		Cardinales duo ad Henricum missi, super cæde Cantuariensis.	131
AEmulatio Henrici Regis in Strangboum.	109		Castellum Fernasianum solo equatur.	178
Aldelinidis iniuria erga Mauritiij filios.			Cesaræ, neptis Noe, in Hiberniam aduen-	
177. erga Reimundum.	178		tus.	235
Amor in nutrices et collactaneos.	48. mira		Chauceri poëta laus.	28
fides eorum, ac pietas.	49		Chirurgi imperiti.	43. quibus ars heredi-
Anglica prouincia.	27. eius termini ibid.		taria. ibid. eorum libri.	44
Angli plures ex Britannia aduocantur.	92.		Cibi & dapes Hibernorum.	38
eorum periculum oportuno Reimundi			Clamor præclaris.	43
aduentu excussum.	151. in arce se de-		Cnothurnius, filius Dermicij, obses.	89. ne-
fendunt.	152. Hibernos omnes cadi		catur.	106
suspectos habent & rebellionis.	211		Concilium Antifitatum Hibernorum Arma-	
Arbitrii in astimatione furorū.	37. ex cer-		chiae.	109
ta familia. ibid. & in magno pretio.	ib.		Connactensum stratagema.	184. eorum
Archiepiscopi, ante aduentum Papironis, in			cum Britannis pugna.	185
Hibernia nulli.	256		Cornubia Anglo-Hibernorum.	30
Areæ septæ fôsis aut dumis.	33		Consilia Rotherici contra Anglos & Der-	
Armachia sedes Archiepiscopi.	26.		micium.	82
Arma, & pugna ratio.	42		Consilia & difficultates Anglis ducibus	
B Alclenses in Hiberniâ trâsmissti.	249		in resistendo.	144
Bannua insula.	68		Consilium cuiusdam pium.	74
Bartholani in Hiberniam aduentus quot			Copie Anglicana.	165
annis ante diluvium.	237		Copie in expeditionem Hibernicam.	95
Belli mala.	76		Copie Roberti,	68
Bellum inter Rothericu & Dunneldru.	91		Corcagia vrbs. 24. à rebellibus obessa.	
Bernacæ, earumq; natura.	250		187	
Britanni naues comburunt. 73. eorum ad			Corcagienses fugiunt.	146. quibus sero
prælium instructio.	117. copiaru di-		opitulatur Dermicu.	ibid.
uisio ibid. hostes aggreduntur semiso-			Cormachus occiditur.	168
pitos. ibid. & 118. in flumen se demit-			Crudelitas Dermicij.	79
tunt.	157. opidum eodem impetu ca-		Cruci citharædi laus.	39
piunt ibid. cù rebellibus dimicat.	188		Cura in sauciu.	43
<b>C</b> AEdes Murchardi.	106		Curandi ratio.	44
Calor naturalis.	44. eius admiratio		Curceus pacem oblatam repudiavit, & qua-	
			l super-	

<i>superstitione motus obstinate se gerit.</i>	
180. <i>eius in Ultomenses prælia quinq. notabilia.</i>	ab Anglico imperio deficit. 155.
182. <i>effugit.</i>	expeditio Reimundi in eum. ibid.
quæ bello Laceus repetit. 213. <i>acie victor.</i>	<i>eius oratione.</i> 166.
<i>eius proscriptio.</i>	quam ad finem habita.
	ibid. Limerici præfetus constitui-
	tur. 169. <i>eius perfidia.</i>
	170
<b>D</b> Altini, quartus ordo militum. 43	Dympna martyr. 191
Dauidis Walshei audax facinus.	<b>E</b> Dictum Henrici. 109
156	Episcoporum Hibernie ordo. 26
Defendendi ratio simplex. 35	Episcopi legati. 77. pacem impetrat. ibi.
De la filij in Hiberniam veniunt. 241	Equites hastati. 40
Deliberatio inter Anglos de captiuis. 97.	Excubia in castellis, cum clamore. 33
necantur. 103	Excursus in calumniatores bene meritorum ciuiam. 162
Deliberatio regis super Guesfordia. 74	Expeditio Dermicij in Osriam. 78
Deluinita Barones unde orti. 209	<b>F</b> iliorum conspiratio in Henricum. 137
Dermicij improbitas. 59. <i>superbia in re-</i>	Foilanus martyr. 191
<i>gno.</i> 60. à proceribus deseritur. 60.	Fratrum discordia. 244
<i>eius libido.</i> ibid. vxorem Ororicij rapit.	Fuga Hibernorum. 118. <i>nomina fugatorum.</i> 119.
61. <i>Ororicio resistit.</i> 64. <i>deseritur.</i>	Funerum ratio. 47
<i>ibid. confugit ad Regem Anglie.</i> ibid.	Furta. 34
<i>clam in Hiberniam reddit.</i> 68. <i>ira in</i>	
Dublinienses. 90. <i>cupiditas in Hiber-</i>	<b>G</b> alfridus submersus. 156
<i>nicum imperium.</i> 92. <i>injusta.</i> 108.	Gelafus Armachanus Antistes. 130
<i>mors.</i> 111. <i>habitus, &amp; mores.</i> ibid.	<i>eius vita recta &amp; sobria.</i> ibid.
Dermicjus sero opitulatur Corcagiensibus.	Gilbertus Nugentus in Hiberniam venit.
146	209
Dies Martis quasi fato quodam Hibernis	Giraldide castellum Fernasie costruunt. 177
semper infelix. 158. <i>supersticio tamè</i>	Giraldus Cambrensis Historicus. 58. in
<i>in eo non ponenda, aut astrorum villa-</i>	Hiberniam venit. 189. Iohannis pa-
<i>vis.</i> ibid.	dagogus. 206. quoniamq. in historia pro-
Difficultas huius historie. 54	cesserit. 209. <i>eius ad Anglorum regem</i>
Divisio Hibernie. 19. <i>alia.</i> 27	<i>prefatio.</i> 219
Dona Dermicij in Anglos. 77	Gottredus sollicitatus aduenit. 114
Dublinienses se dedunt. 90. <i>casorum nu-</i>	Griffini vigilantia. 135. in tempore opem
<i>merus.</i> 148	fert. 137. <i>Ororicium lancea trans-</i>
Dublinum metropolis, eiusq. descriptio.	<i>adigit.</i> ibid.
21. <i>obfessum.</i> 105. <i>captum.</i> 106. ab	
Hibernis rursus obfessum. 114	
Dunlenus Duni præfetus fugit. 180. co-	Gualterus Alemannus Giraldidis aduer-
tra Britannos exercitu comparat. 181	satur. 178
Dunum expugnatur. 179	Gulielmi Giraldi nuptia, cū Alma Strang-
Duuenaldus illex Dermicij filius. 71. <i>eius</i>	<i>boë filia.</i> 154
<i>calliditas.</i> 119. <i>fuga cū captiuis.</i> 120	
Dublini cives incuriosos opprimit. 148	Gulielmus Aldelinides Hibernie Prator
	constituitur. 175. ex Hibernia deno-
	catur.

- eatur. 185. eius mores. ibid.  
**G**urgunitus Britonum rex. 249  
*Gurmudum, ex Anglorum opinione, Hiberniam subiungasse.* 258. unde in Hiberniam vel Britanniam aduenerit. 259  
**G**uesfordiensis vidi. 71  
**H**abitus Dermicij & mores. 111  
*Harmonia quattuor Evangeliorum.* 189  
*Hasthulphus Dublinium tentat.* 111 *capi-*  
*tur.* 112 *eius ferrox oratio.* 113  
*Hector Boëthius, insidiosus scriptor.* 18  
*Henrici regis in Cambrię ses asperitas.* 122  
*aduentus in Hiberniam.* 124 *egre ex*  
*Hibernia discedit.* 132 *principes &*  
*duces sibi conciliat.* ibid. *munera &*  
*curationes dispartiunt.* ibid. *& tandem*  
*in Britannię renaugat.* 133 *de Hi-*  
*bernia prorege deliberat.* 138 *eius er-*  
*ga suos liberos liberalitas.* 186  
*Henricus Sidneius Hibernia prefectus*  
*Strangboi tumulum reedificandum cu-*  
*ravit.* 173  
*Heraclius patriarcha in Anglię venit.* 199  
*eius ad regem oratio.* 200 *repulsam*  
*fert.* 203  
*Herimon Hibernorum primus monarcha.* 244  
*Herueius iterum exercitui præficitur.* 148  
*eius occultum odium in Reimundi.* 153  
*affinitas eius subdola cum eodem.* ibid.  
*illius prauis mores & ingenium.* ibid.  
*eum ubique insectatur Giraldus histo-*  
*ricus, nescias, an satis sincere.* 154  
*clanculum admordet Reimundi famā,*  
*apud Regem.* 161 *accusat ut defe-*  
*ctorem, aut defectum.* ibid. *mona-*  
*stica vita se tradit.* 191 *eius descri-*  
*prio.* ibid.  
*Hibernia magnitudo & dimensio.* 15.  
*eius cum Britannia comparatio.* ibid.  
*unde dicta.* 16. *situs.* 221 *equali-*  
*tas & inaequalitas.* 224 *Fertilitas.* ibid.  
226, laudes varie, & natura. 233  
*de eius habitatoribus.* 234 *primus*  
*monarcha.* 243 *per Patricium ad*  
*fidem conuersa.* 249  
*Hibernica gens à primo suo aduentu usq.*  
*ad Anglorum regem, Henricum secun-*  
*dum manxit inconcussa.* 263  
*Hibernicarum rerum Appendix.* 219  
*Hibernicum idioma ab Anglicā prouincia*  
*ferè exsulat.* 29  
*Hibernorum mores & ritus.* 31 *non tam*  
*seri.* ibid. *hospitalitas.* 33 *cibi.* 38  
*potus.* ibid. *propensi in litteratos.* 49  
*à feritate excusat.* 51 *pompam &*  
*diuitias admiratur, non ante solita.* 130  
*conspirant ad libertatem recipienda.* 144  
*victoria insolescunt.* 149 *quibus caput*  
*& regimen Rothericus accedit.* ibid.  
*sapientis vincuntur.* 212  
*Hibernici proceres contra Iohannem con-*  
*jurant.* 207  
*Hibernici regni titulo quis primū usus*  
155  
*Hispanicum mare, duobus brachis Bri-*  
*ttanniam & Angliam cōplectitur.* 222  
*Hospitalitas Hibernorum.* 33  
*Hostes recedunt ab yrbe obsessa.* 165  
*Hugo Laceus Aldelinidi succedit.* 186  
*accusatur.* 193 *in Angliam nauigat.*  
193. *in Hiberniam redit.* 194 *iterū*  
*in Angliam redit.* 197 *Hibernie gu-*  
*bernator à Iohanne constituitur.* 208  
*contra rebelles bellat.* ibi. *arcem fun-*  
*dat.* ibid. *occiditur.* ibid. *eius descri-*  
*prio.* 209. *eius defensio.* 210  
*Hugonis Tirelli direptio.* 198  
**I**ncursio in agros Dermicij. 64  
*Ingressio Dermicij in Medium.* 107  
*Inimicitiae implacabiles.* 34  
*Inimicitiae inter Laceū & Tirellum.* 199  
*Iniuria Hibernorum in Britannos.* 109  
*Inquisitores quatuor in Hiberniam misi.*  
164. *eorumq; mandata.* ibid. *In Hi-*  
berniam

- B**erniam veniunt. *ibid.* in Angliam revertuntur. 176  
**I**nstrumenta musica. 39  
**J**ohannes Ciminus Dublinij Archiepiscopus creator. 197  
**J**ohannes Constabularius, & Iohannes Peccus à rege in Hiberniam mittuntur. 193  
**J**ohannes Curceus Ultioniam inuidit. 179  
 Dunum expugnat. *ibid.*  
**J**ohannes Henrici regis filius in Hibernia venit. 204. in Angliā renavigat. 207  
 inuisus suis. 212. Curceum in Angliam vincit deuehi iubet. 212  
**J**ohannes Papiro quattuor Pallia in Hibernia plantauit. 256  
**I**ra Rotherici in adulterum. 63  
**I**udicia Hibernorum. 33  
 Iurisperiti imperiti. 37. eorum conuentus solutio. 38  
**K**ildaria Comitis laus. 50. eius dilectum. 51  
 Kilianus martyr. 191  
 Kilkenia municipium. 24  
**L**aceus, vide Hugo Lac.  
**L**auretij Antifitris pro ciuibus intercessio. 106. iter ad Henricum regem facit. 194. grauiter agrotat. 195. eius mors. 196. mores & instituta. *ibid.*  
 Legati Anglorum ad Hemicum. 110  
 Legatio Rotherici ad Stephanidem. 84. ad Dermicium. 85. & 107  
 Liberalitas Henrici in subiectos principes. 125  
 Limmericum vrbs. 23. capitul. 157  
 Littera Dermicij ad Strangboum. 93  
 Littera Ororicij ad Rothericum. 62  
 Littera Pontificis recitantur publicè. 155  
 Littera Regis pro Dermicio ad suos. 66  
 publicè recitate. 67  
 Littera Roberti ad Dermicium. 70  
 Littera Rotherici ad Robertum. 83  
**M**actirus insidias Mil. Cog. machinatur. 186  
 Mauritus Giraldus Roberti frater. 68  
 Mauritij aduentus in Hiberniam. 90  
 mors. 176. eius descriptio. *ibid.*  
 Mauritij Prendelgasti accessus in Hiberniam. 70  
 Medensis regis questio dolosa. 261  
 Meilerij audacia. 156. à ciuibus conferatis inuidit, & proturbatur. 156. eius descriptio. 160  
 Merlinus Magus. 180. reprehēditur. 181  
**M**ilesij regis filiorum appulsus in Hiberniam. 244  
 Milites in solum Reimundū proni & propiti. 165. cui bellū commissum est. *ibid.*  
 Militia, & ordo. 40  
 Militum alienatio odio Henrici. 144. Reimundum Ducem consensu petunt; & impetrant. 145. statimq; in hostes eunt. *ibid.*  
 Milo Coganus Connaciam inuidit. 184 cum Radulpho occiditur. 186  
 Momonienses rebellant. 187. pacem petunt. 188  
 Monstrosa mulier. 91  
 Mores Hiberno- Anglorum. 28. & 48  
 Motus armorum in Hibernia. 164  
 Murchardus pater per nati insidias caput. 168  
 Musica & citharædi. 39  
**N**atalitia Christi splendide ab Henrico celebrata. 129  
 Nauale prælium in lacu. 145  
 Nemedi cum quatuor filiis, à partibus Scythia in Hiberniam aduentus. 239  
 Norvagienses tempore Fedlimidij Hiberniam expugnauerunt. 257. postquam 30. annos regnarunt, ex Hibernia expulsi. 261  
 Nuptia Strangboi cū Dermicij filia. 105  
**O**Nelius perpetius Anglorū hostis. 32 Oostmanni qui. 111. eorum in Hiber-

## I N D E X.

Hiberniam aduentus.	261	Primi reguli Hibernorum.	20
Opida, ac municipia plura.	24	Proceres Hiberni, & vulgus ab Anglo sermone auerſi.	30
Oppugnatio Guesfordia.	76		
Oratio Dermicij ad suos firmandos.	86	Prælium.	182
Oratio Herueij inclemens.	100	Propensi Hiberni in litteratos.	49
Oratio Mauritij & consilium.	115	Prouinciarum administrandarum diffi- cultas.	139
Oratio Reimundi pro salute captiuoru[m].	98	<b>Q</b> Vinque Reguli Hibernie.	59
Oratiuncula Roberti ad suos.	88	Quot reges ab Herimone ad Pa- tricij tempora regnauerunt.	249
Oratio Rotherici ad suos.	85	Quot reges à tempore Patricij usque ad Turgesij aduentum regnauerunt.	257
Ordo in mensa.	38	Quot reges in Hibernia regnarint, ab obi- tu Turgesij usque ad Rothericum.	262
Oreli dictum ridiculum.	30	& quot ab Herimone ad eundem Ro- thericum.	263
Origo Britannorum à Troianis.	88	<b>R</b> Apine procerum sine dedecore.	34
Ororicij Zelotypia. 61. consolatur à cō- filiarijs. ibid. Dublinium oppugnat.		Rebelles vidi, & fugati.	188
123. fugatur. ibi. insidias parat Hu- goni, idq[ue] per speciem colloquij.	133	Rebelles vincuntur.	208
ad coniuncta rē dederit. 135. vim pa- rat aperiē. 136. Hugonem securi pe- tit, fruſtra. ibid. lancea transuerbe- ratur. 137. eius caput ad regem mis- sum.	137	Reditus Dermicij in Angliam.	66
Oſirienses repugnant. 78. stratagemate vincuntur. 79. cœſi.	ibid.	Reductores Dermicij qui.	69
<b>P</b> Aracelsi error & cœctas.	46	Reimundi laus & foritudo.	118.
Partitio prouinciarum magis distin- cta.	20	eius in depopulatores audax eruptio.	147.
Pax cum Duuenaldo.	80	insidias incidit, quas miraculoſe illæſus euadit.	ibid.
Pax inter Rothericum & Dermicium.	89	in Angliam reuocatur patris morte.	148.
Pedites. 41. qui Karmi.	42	accingitur ad ex- peditionem, & copias conscribit.	151
Petrus Withus, formator iuuentutis, eiusq[ue] laus.	25	in Hiberniam venit.	ibid.
Philippus Wigorniensis Hibernie prorex efficitur. 197. Ultonienses expilat.	198	Dublinium contendit cum exercitu.	153.
Pluniarum abundantia, in Hibernia.	226	terro- re solo omnia pacat.	ibid.
Poëta adulatores.	55	ad nuptias properat, eaq[ue] Guesfordia cōfecta.	153
Polydori in Cambrenses coniunctum.	159	Limmericum copias adducit.	156.
id refutatum.	ibid.	ad auxiliandum Meilerio, suos hortatur.	
Potus ex vino ignito.	38	157. ipse in flumen se demittit.	ibid.
Præſicarum nenia & lamenta.	47.	illius felix virtus in Hibernia.	158
sper- nenda à Christianis.	48.	forma & effigies.	160.
exemplum.	ibid.	mores & in- genium.	ibid.
Prefectus hostium occiditur.	146	latuſ ac alacer Inquisi- tores excipit.	164.
Prandia matutina.	33	Murchardo ſup- petias fert.	168.
		Hibernie gubernator relinquitur.	175.
		Stephanidi opem ferti.	187
		Reguli Hibernorum.	31.
		nomenclatura eorum & imperium.	ibid.
		l 3	Regum

## INDEX.

<i>Regum sanctitas.</i>	76	<i>eius mores.</i>	188
<i>Res aduersa pietatem ingerunt.</i>	75	<i>Strangboi cum copiis aduentus in Hib.</i> 104	
<i>Res Hibernie rex componit; initio facto à sacris.</i>	130	<i>oppugnatio Waterfordiae.</i> ibid. cum <i>Lageniensibus pugna.</i> 121. regi sup- plex. 122. eius pactum cum rege. ibid.	
<i>Renovatio Strangboi in Angliam.</i>	122	<i>gubernacula Hibernie accipit.</i> 143	
<i>Rex Anglia Dermicū suscipit cum spe no- ui regni.</i>	65	<i>collegam &amp; inspectorem petit Reimun- dum Giraldum.</i> ibid. <i>Munera ei à re- ge dantur, atque in Hibernia aduenit,</i> quam reperit turbatam. ibid. <i>anxius confliq.</i> 149. <i>ad Reimundum revo- candum inclinat.</i> ibid. <i>quem matri- monio sororis promisso, pertrahit.</i> ibid.	
<i>Rex nimis credulus calumniis.</i>	162	<i>eius ad Reimundum littera.</i> 150. <i>Wa- terfordiam deserit.</i> 152. <i>moritur.</i> 168	
<i>Richardus Strangbous.</i> 67. <i>auxilium pro- mittit.</i> ibid. <i>socius expeditionis.</i> 92		<i>eius descriptio.</i> 170. <i>eius filius quam ob causam à patre occisus.</i> 171. <i>eius epitaphium.</i>	
<i>Robertus Anglicani militis virtus.</i>	72	174	
<i>Robertus Barrensis &amp; Meilerij laudes.</i>	80	<i>Subiectio principum Hibernie.</i>	125
<i>Robertus Poeri virtus.</i>	182	<i>Summa huius operis.</i>	57
<i>Robertus Stephanides.</i> 68. <i>regi suspectus.</i>		<i>Suspiciones de filio Henrici.</i>	131
<i>ibid. eius stemma &amp; cognatio.</i> ibid.		<b>T</b> <i>Empestas tristis in Hibernia.</i> ibid.	
<i>obſeffus.</i> 115. <i>se tradit.</i> 120. <i>libera- tus.</i> 124. <i>à rege rursum captus.</i> ibid.		<i>Templa pro asylis.</i>	50
<i>liberatur.</i>	127	<i>Thomas defensus.</i>	46
<i>Robertus vinculis soluitur.</i>	68	<i>Tomundienſes vieti.</i>	167
<i>Rotherici fædus cum Orioricio.</i>	64	<i>Trepidatio Hibernorum.</i>	71
<i>Rothericus &amp; Dauenallus pacē petūt.</i>	167	<i>Turgesius Norvagiensis dux.</i>	257
<i>Rufiſci Hiberni à Normannis male tra- ctati.</i>	206	<i>Hiberniam domuit.</i> 258. <i>dolo puella- rum delusus, occubuit.</i>	260
<b>S</b> <i>Acerdoṭes in summo honore.</i>	49	<b>V</b> <i>Arie, Solini, Crosij, &amp;c. sententiae.</i>	
<i>Sacra Dermicij.</i>	75	223	
<i>Sauitia erga cœſos.</i>	43	<i>Vaticinia Merlini.</i>	128
<i>Salisburyensis ad Pontificem legatur, pro cofirmatione dominatus Hibernici.</i>	154	<i>Ventositas in Hibernia.</i>	226
<i>Diploma super eo impetrat.</i>	155	<i>Vltonienses vieti.</i>	182
<i>Schola in Kilkennia.</i>	25	<i>Victoria omnis à Deo.</i>	75
<i>Scoti ab Hibernis oriundi.</i>	17	<i>Vicianus Romana sedis legatus.</i>	180
<i>Scotti nomen vnde.</i>	ibid.	<i>concilium Dublinij celebrat.</i>	182
<i>Soliuagi &amp; pradones.</i> 52. <i>quorum vita aspera.</i> 52. <i>exemplum.</i>	53	<i>Vltonia prouincia.</i>	25
<i>Solutio iuridici conuentus.</i>	38	<b>W</b> <i>Waterfordia vrbs.</i>	22
<i>Somniorum elevatio.</i>	134	<i>Waterfordienses Anglos aggredi- untur.</i> 95. <i>vincuntur.</i> 96. <i>aper- tè desciscunt, &amp; vim Anglis inferunt.</i>	
<i>Somnium Griffini, quod infidias irritas fecit.</i>	ibid.	<i>152. tandem ad pacē coacti redeit.</i> ibid.	
<i>Stephanidis obſeffio.</i> 115. <i>qui se fidei ba- ſium permitiuit.</i> 120. <i>liberatus.</i> 124. <i>in carcerem rurſus ab Hen. coniecutus.</i> ibid.			
<i>deprecatorum oratione liberatur.</i> 125			

FINIS.

## ERRATA.

Pag. 9. lin. 14. agitura, lege agitare. pag. 21. lin. 12. parlamento, parliamenta, & lin. 25. Laurentinorum, Laurentiorum. pag. 46. lin. 26. aegritudine, aegritudini, & in margin. lege cap. 9. pag. 71. l. 25. & exercitum, dele. Et pag. 80 lin. 4. imprimant, imprimunt. pag. 84. lin. 1. trâslugum, trans lugum. pag. 87. lin. 13. pariendam, pariendum. pag. 102. lin. 15. augustissimi, angustissimi. pag. 108. lin. 17. lenitatem, leuitatem. pag. 125. lin. 2. Corragia, Corcagia, pag. 133. lin. 25. Quorum, Quocum. pag. 135. lin. 16. cereros, Exteros. pag. 141. lin. 13. Hibernici nominis, Britannici nominis. pag. 149. lin. 15. Et, Ei. pag. 156 lin. 4. famæ, fame. pag. 160. lin. 11. vestibus, vestitus. pag. 184. lin. 9. adfectoribus, Adfectoribus. pag. 193. lin. 11. & 12. remitteret, transferret, Remittere, transferre. pag. 199. lin. 23. inclinare, inclinari. pag. 200. lin. 26. metuens, metuimus.

## PRIVILEGII CÆSAREI SVMMA.

**M**A X I M I L I A N I II. Romanorum Imperatoris semper Augusti, publico edicto caustum & sanctum est, ne quis cuiuscunq. status, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacunque sacri Romani Imperij, & ditionis eius fines patent, quæcunque probatorum auctorum opera, quotquot vel hactenus nondum impressa, vel ab aliis quidem impressa, nouis autem deinceps scholiis, annotationibus aut commentariis aucta & illustrata, Christophorus Plantinus ciuis & typographus Antuerpiensis primus typis procuderit, intra proximum sexennium à prima cuiusque operis aut voluminis editione, vlo pæcto eiusdem vel diuersi characteris formâ excludat, aut excusa ab aliis, intra eiusdē Maximiliani & Imperij fines vendenda importet, seu quoquis modo distrahat manifestè vel occultè, sub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco Imperiali fraudis vindici, residua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impressorum amissionem, quos idem Plantinus vbi cunque locorum naclus fuerit, per se, vel suos, adiumento Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vindicare, inq'ue suam potestatem redigere poterit. In cuius rei fidē ipsi Edicto manu subscripsit, & sigillū apponi iussit. Cæsarea Maiestas. Datum in ciuitate Viennæ Austriae, die vigesima prima mensis Februarij, anno Domini M. D. L X V.

Subsig.

*Maximilianus.*

Ad mandatum sacræ  
Cæs. M. proprium

Haller.

PRIVILEGIUM GALLIARVM REGIS.

**C**AVTVM HENRICI III. Galliarum Regis Priuilegio, ne quis in omni eius regno libros totos, aut in parte, quoscunq; Christophorus Plantinus aut nouos excuderit, aut veteres, sed correctos siue illustratos, aut adnotatos, eosce iterum excudat, excudi faciat, aut excusos vendat. idque intra sexennium à cuiusq; libri editione. Quod autem hoc fine, vt ne idem Plantinus, laborum suorum, sumptuumque meritisimo fructu priuetur, cogaturque tandem intermittere aut omittere laudabile suum munus, cum detimento reipub. litterariorum, & doctorum. Qui contraria fecerit, sciat paratam librorum confisctionem, aliaſque pœnas siue mulctas, quæ Regiis Edictis continentur. Cum lege tamen, ne iidem libri quicquam contineant, quod vel Religioni Catholicae Apostolicæ Romanæ, vel huius Regni Statui adueretur. Atque huius Edicti exemplarum cum fronti aut calci cuiusque operis apponetur, nullus typographorum siue bibliopolarum villam ignorantiae causam praetexat. Datum, Fontibellaquæ, quinta Augusti. M. D. LXXXII.

Signat.

Per Regem

## De Neufville